Baron Northwick.

Bassano) Iacobus a Ponte.
Paolo Veronese) Paulus Calliarius.
Il Padovanino) Alexander Varotarius. p. 52.

Titiano) Titianus Vecellius.
Raphaël d'Urbino) Raphaël Sanctius.
Il Tintoretto) Iacobus Robusti.

1. Carolæ Catharinæ Patinæ Tabulæ Selectæ.
2. Figuræ variæ, videl. Cathedræ S. Petri, Fori Pantlei, Fori SS. Apostolorū, Fori S. Mariæ Minervæ, Castelli Gandolfo, Terræ Ariciæ, et Amamentarii della Civitá vecchia.
3. Habitus marium & foeminarū, Processiones, Triumphi, Festa & Ceremoniæ Venetorū, cum figuris quibusdam ad academiam patavinam pertinentibus.

TABELLÆ
SELECTÆ ET EXPLICATÆ
A
CAROLA CATHARINA PATINA
PARISINA, ACADEMICA.

TABELLÆ

SELECTÆ AC EXPLICATÆ

A

CAROLA CATHARINA PATINA,

PARISINA, ACADEMICA.

QVÆ STVDET, ORAT.

Guido Rhenius p. *Desbois Sc.*

PATAVII,

M. DC LXXXXI.

Ex Typographia Seminarii.

SUPERIORUM PERMISSU.

Acta erud. A. 1691. 337. 549. A. 1688. 557. Struve Introd. in notit. r. l. 123. Moller de homin. 710. J. C. Ebert Vom gelehrt. Frauenzimmer 273.

Scripsit & Literas apologeticas pro Parente suo. Acta erud. 1691. 337.



IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI

LEOPOLDI

FILIO, JOSEPHO, REGI,

ROMANORUM, HUNGARIAE, &c.

Saepè Parentem audivi puella de selectioribus antiquitatis monumentis verba facientem, ac præcipuè de mirabilibus Historiæ Augustæ facinoribus, docentemque, inter ea nil præferri, nil comparari quidquam posse Justitiæ, morumque sanctitati Augustissimi Parentis

Tui LEOPOLDI, *ut ipsa velut incensa & tantarum virtutum veneratione occupata, illas velut Dei dona adorare constituerim. Quàm lætè illum narrantem audiebam,* CAESAR, *nullo majori beneficio Græciam a Philippo Macedone affectam fuisse quàm Alexandro; longè veriùs adstrui posse arbitror, inter tot ingentia* LEOPOLDI *Augusti promerita, quibus Germaniam orbemque Christianum sibi devinxit, primas meritò sibi vindicare, Regem* JOSEPHUM, *generis humani amorem & delicias. Felices animas, quibus Porphyrogenetam Heroëm celebrare licebit! Inviderem Homero, nisi nefas esset, cui integrum fuit Achillem decantare: Inviderem & Lysippi scalpello Apellisque coloribus, sui Regis famam ad extrema usque sæcula extendentibus, dum novus nobis fulget Alexander, isque sobrius, nec ulla macula deformatus.*

Memor porro, ipsis Numinibus gratas acceptas appensasque fuisse exiguas & rudes tabellas, nec artificum imperitiam offerentium zelo nocuisse, audebo profectò Majestati Tuæ hæc studiorum meorum crepundia consecrare, quibus obsequium, quo illam veneror, declararem. Pias aliquot tabellas in sacellis latentes, nonnullasque historicas interpretari & publici juris facere, ex Præceptorum meorum consilio decrevi, optans, ut imbecillitati meæ opem ferat Pictorum celebritas, è quibus desumptæ sunt. Italos plerosque ac Venetos selegi maximi nominis, qui patriam suam egregiè nobilitaverunt,

eoque

eoque laudis extulerunt, ut eandem occupet existimationem, illamque famam mereatur, quantam inter Græcas provincias olim obtinebat Attica.

Quod reliquum est, a Tuæ Majestatis clementia pendeat, obsecro: Excipiat illa benignè quod offero, tum ut se Aug. LEOPOLDI Clementissimi filium demonstret, tum ut ipsum Deum propiùs imitetur, jubentem sibi quorumcumque fructuum acerborum ac immitium primitias offerri: Hic erit desiderii mei finis.

Interim æterna vota pro salute ac felicitate tua nuncupare fas sit, & fortitudinem Scipionis, gratiam Pompeii, Octauiique Augusti fortunam Tibi ex præcordiis exoptare.

Scribebam Patavii,
Cal. Maii MDCXCI.

CAROLA CATHARINA PATINA.

PRAEFATIO.

COnsilium meum fere totum exponit inciſa primæ libelli paginæ tabella, dum ornatam ſplendidè Deam finxit ingenioſus Pictor, quam ſive Curioſitatem dixeris, ſive ex penicillis, aſſulaque pictoria pigmentis referta, Picturæ numen, bellè conjeceris. Illa quidem cunctis innata hominibus ad arcendam ignorantiam aptiſſima, quantò magis mentem obſidet, tantò illam illuſtriùs nobilitat, dum intra limites à Religione Veritateque præſcriptos ſeſe contineat. Et hæ conſultò commodèque pictæ comites veniunt. Illa modeſtiſſimo habitu crucem gerens gloriæ noſtræ ſymbolum; altera laureato capite, alatis humeris, calamum librumque tenens, ſæculis venturis quid agatur, quid dicatur, ſcriptura: ſic noſtra Curioſitas præeuntem indicat Pietatem, ſine qua vana ſunt omnia, ſubſequentem Hiſtoriam, unicuique ſuum tributuram, nec adulatione, nec præmio, nec minis corruptam. Licebit enim aliquando de nobis quibuslibet viventibus, pari libertate verba facere, quali heroicas Alexandri virtutes laudare aut immania Neronis ſcelera vituperare, licitum eſt. Genius, meum ſi voluerint interpretentur, tentoriolum ſublevat, quo citiùs appenſæ in porticu tabellæ appareant, elegantia ſua oculos noſtros primùm recreantes, animos deindè quaſi præter naturæ vim rapientes.

Ex tanto pictarum tabellarum numero haſce regiones ornantium ſeligi quidem aliquæ potuiſſent aut nobiliores aut gratiores; at omnia non poſſumus omnes. Sexus imbecillitas decorumque, & Italiæ quam nunc incolo mores, multa vetuerunt meis votis convenientiſſima, à quibus abſtinere ſatius duxi, quàm alterutri vim inferre. Rariores quaſdam prætuli nondum vulgatas, & quæ fortaſſis æternùm latuiſſent, ni illas publicaſſem. Magnitudinis illarum ratio quædam haberi debuit, ne libelli moles foret incommodior. Sumptus deinde opulentius marſupium terruiſſent, qui ſæpè animos ut ab alacritate ſic à ſpe opera perficiendi dejiciunt. Mihi in his me continere viſum eſt, ut quæ potuerim exequi, tentaverim; quæ duriora aut difficiliora viſa ſunt, aliis reliquerim.

Explicationum mearum tenuitatem ab æquis meæ opellæ judicibus condonatam iri autumo, dum ſciverint hanc primò ſolius exercitii cauſa ſuſceptam, deinde Patronorum juſſu paulo cultiùs exaratam, me quaſi invita, publicæ luci commiſſam: Abſit ut brevitatis veniam petam, quæ ſola lecturæ faſtidium poterit reparare, ſolaque tot lapſus meos excuſare, quin fortè ſola in opere laudanda veniet.

Tabellas autem hac arte diſpoſui, ut veteris teſtamenti hiſtoriæ præcederent, novi ſequerentur; has nonnullæ Sanctorum actiones, omnes ad Pietatem pertinentes. Succedunt antiquæ aliquot elegantes fabulæ, quas premunt hiſtorica planè facinora, Reipublicæ litterariæ non injucunda opinor futura.

Quid commemorarem Scalptorum egregiorum promerita meis votis obtemperantium; horum cujuſque nomen ſuo operi ſuis tabellis adſcriptum eſt, ne merenti ſua laus deſit, ne erga benevolas animas ingrata videar. Amici Inſpectoris officium ſit, juveniles eorum conatus laudare, eorum imbecillitati parcere. Et dum erga eos indulgentiam erunt collocaturi, recordentur me ea ſupra quoslibet ſummè indigere, quam enixè flagito.

MOYSES NILI AQVIS EXPOSITVS SERVATVR A REGIS PHARAONIS FILIA.

Paulus Calliarius pinxit Venetijs.

MOYSES NILI AQUIS EXPOSITUS, SERVATUR A REGIS PHARAONIS FILIA.

PAUEUS CALLIARIUS PINXIT VENETIIS.

VEriſimilia facilem veris dant áditum, ut his abſque illis fides denegetur, & in mendacium ipſa veritas nonnunquam tranſeat. Id manifeſtum exhibent Pictores hiſtorica facinora adumbrantes; Eventus enim gratis penicilli illecebris adeo aſſeruntur, ut menti noſtræ, quæ nuda ac ſincera veritas non ſuaderet, per pictas fictaſque imagines omnino inſinuentur. Inde fit, tabellam omnibus numeris abſolutam, omnibus nummis vix ſolvi poſſe; eò pretioſiorem quò aſtutiùs deludentem. Unum pro cunctis ſit hoc Pauli Calliarii Veronenſis teſtimonium, in quo magnus Dei Propheta futurus Moyſes, ab aquarum voragine divina providentia liberatus, matri tanquam alienæ nutrici commiſſus, tam vivido apparatu depictus eſt, ut ſimul cum oculis mentes noſtras rapi neceſſe ſit.

Pharao Ægypti Rex ſibi metuens regnique ſecuritati, ob Hebræorum multitudinem ac robur, regiam beneficamque majeſtatem in tyrannicam ſeveritatem permutaſſe notum omnibus fecit, dum tanquam reos, innocentiſſimos condemnavit, & vix natos infantulos, quid pœna quid caput nondum ſcientes, pœna capitali puniri barbarè imperavit. Eas juſſit carnifices evadere, quæ ab auxilio naſcentibus ferendo, & ab obſtetricando obſtetrices nuncupari meritæ ſunt. *Quando obſtetricabitis Hebræas & partus tempus advenerit, ſi maſculus fuerit, interficite eum. Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, ſed conſervabant mares.* Immani illo ac truci facinore fruſtra tentato, ipſas benigniſſimas matres ſuis partubus voluit atroces manus admovere. *Præcepit Pharao toti ſuo populo dicens, Quidquid maſculini ſexus fuerit, in flumen proiicite.* Naſcitur interim *de domo Levi* magnus ille Moyſes. Sed quid contra eum præſtare valet humana quantumvis potens crudelitas, ſi rerum Moderator rem aliter diſpoſuerit? Et hæc certè naturali legi admodum erat conveniens. Mater infantuli ſui vitam, invito barbaro Rege ſervare decrevit: *Et videns eum elegantem, abſcondit tribus menſibus: Cumque jam celare non poſſet, ſumpſit ſiſcellam ſcirpeam, & linivit eam bitumine ac pice, poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis.* Jam fiat voluntas tua, Tyranne, edicto tuo ſatisfiat, *in flumen proiicite.* Illud tamen erit fruſtraneum: Fidelem ſuum famulum ſervabit Deus O. M. perque dilectam tuam filiam ſervabit. Hæc ſunt

verba Exodi, cap. 2. *Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine, & puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cùm vidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit unam è famulabus ſuis, Et allatam aperiens cernenſque in ea parvulum vagientem, miſerta ejus ait*, De infantulis Hebræorum eſt hic: *cui ſoror pueri*; Vis, *inquit*, ut vadam & vocem tibi mulierem Hebræam quæ nutrire poſſit infantulum? *reſpondit*, vade; *Perrexit puella, & vocavit matrem ſuam. Ad quam locuta filia Pharaonis*: Accipe, *ait*, puerum iſtum, & nutri mihi: Ego dabo tibi mercedem tuam. *Suſcepit mulier, & nutrivit puerum &c.*

Totum eventum veluti in ſacris litteris recenſitum miro artificio exprimit hæc tabella: Nili fluminis amplitudo, mari utcunque æqualis, Ægyptiaci cœli ſerenitas, ripæ aquatilibus plantulis decoratæ, ex una parte viſuntur, ut carecto & papyrioni nihil deſit abſcondendæ ciſtæ, locis paluſtribus exiguarum plantarum multitudine refertis. Ab alia parte infans Moyſes lactens, quem Pharaonis filia ad illum locum ut ſe lavaret profecta, è ciſta extrahi curaverat. Hujus curam videtur Regina, ex corona & regali habitu conſpicua, famulabus ſuis comittere, ne quidquam deſit ad infantuli ſubſidium. Moyſis cunæ (ſepulchrum juraſſet Pharao) humi jacent apertæ, illius extractionis ac liberationis indicium. In conſpectu non diſſito eminet inter privatas ædes Regium palatium: Ægyptiacam ædificandi formam ne quæras, Lector, quam Pictor noſter omnino ignorabat. Nonne vides acuminatas omnes eſſe contignationes, & eo modo laqueatas quo apud Europæos, ſcilicet ut pluviarum aquæ commodiùs decidant; ſed in Ægypto vix unquam pluit. Omnes deinde hujus ædes tum ſacræ tum civiles & privatæ, editam habebant in ſublimiori parte aream, aëri frigidiori nocturno tempore excipiendo, aliiſque uſibus dicatam. Quare Chriſtus S. N. dixit, in Matthæo, cap. 24. *Et qui in tecto non deſcendat tollere aliquid de domo ſua*. Sed & ipſe Raphael Sanctius Urbinas in his nonnunquam deliquit. Cætera, picturæ ornamenta potiùs, quàm facinori indicando cenſeantur.

N. Pouſsin pinxit.

M. Desbois Gal. sculp. Venet.

CELEBERRIMVM SALOMONIS IVDICIVM,

Depictum a Nic. Puſsino, Gallo, Pariſijs.

CELEBERRIMUM SALOMONIS JUDICIUM.

A NIC. PUSSINO PICTUM, PARISIIS.

INter præcipuas optimi principis virtutes haud ſecundas vindicat ſibi æqua judicandi ratio. Quamvis illum alia plura commendent, ni ornamentis quibus ſe ipſum laude dignum præbet, rectam in jure dicundo ſapientiam adjiciat, virtutis tam neceſſariæ defectu, decora cuncta obſoleſcunt . Qui ſe juſtum in ſubditorum diſſidiis componendis probat, ille omni prædicatione digniſſimum ſe manifeſtat . Hujuſmodi celebritate Judææ Rex ſapientiſſimus Salomon, Davidis Prophetæ filius, inter plurimos præſertim claruit, cujus æquitas in illa pluribus nota duarum mulierum lite dirimenda egregiè emicuit.

Hinc illorum patet error, qui ad plebejos inopeſque audiendos abjicere ſeſe dedignantur, quaſi Principis decus ea facilitate vileſcat. Hos planè Salomonis exemplum incuſat, dum ſe ad opem ferendam juſtitia egentibus tam pronum oſtendit, mora vel aditus difficultate civium deſideria torquere, alienum a Rege arbitratus. Perperam igitur faciebat Alexander cùm ſubacta Perſide Dariique regno potitus, Macedonicæ conſuetudinis affabilitatiſque immemor, inſolita majeſtate, militumque terrorem incutientium agmine ab affatu acceſſuque cunctos abſterrebat. Salomon autem qui regnandi artem divinitus edoctus, ſupra ætatem ſupraque hominem ſapiebat, humanitate promptaque juſtitia ſibi hominum corda conciliabat, ea ratione meliùs, quàm ſuperciliosâ ſuperbiâ venerationem ſibi adipiſcens. Hoc celeberrimo potiſſimum Judicio quod hîc a Nic. Puſſino pictum exhibetur, Salomon fama perenni inclaruit.

Duæ mulieres, ut quibuſdam eruditioribus interpretibus placet Cauponariæ, quarum viri tunc fortè negotiationis ergô aberant, ſeſe coram Rege ſiſtunt . Harum altera , cui filium dolo ſuffurari altera conabatur , Regi ſupplex narrat, quomodo ſibi dormienti proprium alia filium ſurripuerit, alio mortuo per fraudem clam ſuppoſito. Recta inſuper conſcientia veritatiſque præſidio freta veri amoris conſcia & culpæ neſcia, conjectura minimè inveriſimili infantem non ſuum noctu per ſomnum oppreſſum inſinuat. Altera invidiâ livens timoreque pavida , ne ſi filium oppreſſiſſe deprehendetur, incuriæ ſaltem pœnas lueret, accuſatricem nugari audacter pronunciat. Utra vera afferret, clam omnibus erat, cùm nemo eſſet qui veraci teſtimonio ſolvere nodum poſſet.

In re tam obſcura, cunctis cæcutientibus, unus Salomon veritatem latentem egregiè detexit: Utroſque infantes tam vivum quàm mortuum afferri juſſit. Inde uni è ſatellitibus imperat, ut ſtricto gladio Puerum in duas partes ſecet, ut ſatisfacere utrique videretur. Non eo tamen animo Salomon id imperavit, ut peragerentur mandata, ſed ut objecto filii cruciatu, veram matrem torquens, ex ejus dolore in veritatis cognitionem ſagaciſſimâ ſolertiâ veniret. Simile quiddam

de Claudio Suetonius narrat. Cùm quædam fæmina Filium ſuum cognoſcere abnueret, dubia utrinque argumentorum fide, negantem mulierem ſolers Imperator indicto juvenis connubio ad confeſſionem compulit. Sic illa matrimonium, quod horrebat natura, reſpuens, filium agnovit. Haud aliter Salomon fœminam lacrymis & ejulatibus deteſtatam filii necem, quam horrebat natura, genitricem infantis agnovit. Hac prudenti ſagacitate Rex veræ Matri, alterius fœminæ fallacibus technis circunventæ, ac dolore invisâ nati jacturâ contabeſcenti filium reſtituit, invidæque contubernalis malitiam, quâ & ſuum perdidit, amicæque inſontem teneramque prolem perdere crudeliter conabatur, juſtè ſapienterque damnavit.

Quidquid hìc refertur, ad amuſſim tabellà refert. Salomon diffuſa veſte & quæ judicem ſapit, inſignis ſolio conſpicuus inſidet. Ejus caput diademate ornatum eſt, ſeu faſcia regiam dignitatem indicante, qualem Græca ſæpè Romanaque monumenta exhibent. Mulieres lite jurgantes ad tribunalis pedes lacinioſis indutæ veſtibus trahere in partes Regem certant. Altera ſupplicis habitu ac poſitu vitam filii a Rege deprecatur: Altera mendaciis veritatem obtegens, juſtitiam violare ac pervertere nititur. Quàm mihi placet doctiſſimi Felibien amœnitas: *Pictores*, inquit, *incumbere ſatagunt coloribus temperamentum moreſque declarantibus; ſic in eo quod pinxit Puſſinus Salomonis Judicio, perverſam mulierem exprimens, plumbeo, atro, lividoque faciei colore, improbitatem malignitatem ac livorem ejus manifeſtam fecit. Vivi vero pueri matrem roſarum ac ſanguinis colore faciem ornavit, quam ita pudentem frugi ac bene moratam deſignare placuit.* Jàm olim Cæſar pingues & comatos nihil timere ſe reſponderat, Antonium ſcilicet & Dolabellam, *ſed pallidos ac macilentos* Caſſium & Brutum. Miles evaginato gladio Infantem quem altero pede ſuſpenſum tenet ſecturus conſpicitur, Romano veriùs quàm Hebraico more armatus. Alii plures adſtant tam viri quàm mulieres, varios in vultibus affectus oſtendentes, ut eruditiſſimo Pictori appoſitè magis placuit. Multos quippe videre eſt ut attonitos immenſam juvenis Regis ſapientiam admirantes; Horrentes quaſdam mulieres, timidumque ac diffidentem puerulum adeo feliciter expreſſit Puſſinus, ut graviorem pathematibus ornatum nemo deſiderare poſſit.

A pictura ad Pictorem procedamus. Nic. Puſſinus Gallus Normanus Urbem præcipuè coluit terrarum Dominam. Regiâ Ludovici XIII. indulgentiâ Pariſios honorificè vocatus eſt, ubi multas pinxit tabellas, regni ornamentum. Placebat tamen ultro Roma, quam paulo ante ſui Mæcenatis obitum Cardinalis Richelii reviſit; Ubi tandem mortuus eſt an. 1665. æt. 71. ab omnibus amatus pictoribus, litteratis viris, magnatibus & Principibus. Id effecerat vitæ probitas, morum ſuavitas, & artis quam ſemper profeſſus eſt elegantia.

Maximæ ejus gloriæ ducatur artem pictoriam ante XX ſæcula florentiſſimam, bellorum temporibus & barbarorum incurſionibus, ut ſcientias fere omnes arteſve occubuiſſe, a duobus ſæculis, ope præſertim Mich. Angeli Bonarotæ, Raphaelis Sanctii & Caracciorum, quaſi ſuſcitatam & reparatam, peſſimo fato denuo concidiſſe, donec excelſo ingenio indefeſsâque Puſſini noſtri induſtriâ ampliſſimè reſtitutam exercerent artis magiſtri, tanti beneficii memores, a Puſſino formati ac eruditi.

Coronidem huic tabellæ imponat D. Felibien exiſtimatio: *An. 1649. pinxit Puſſinus pro D. Pointel Salomonis Judicium quod nunc viſitur in pinacotheca Illuſtriſs. Harlæi* Senatus Principis: Dignum profectò Pictoris opus tanto Poſſeſſore. *Mirabilem tabellam*, inquit idem, *facit delineationis excellentia & expreſſionum ſublimitas.*

TOBIAS

N. Cochin del. H.Thourneyssen fil. sc.

TOBIAS IVNIOR AB ANGELO DVCTVS.

Titianus pinxit in SS. ædibus D. Marciliani.

TOBIAS JUNIOR
AB ANGELO DUCTUS.

TITIANUS PINXIT VENETIIS, IN SS. ÆDIBVS D. MARCILIANI.

Eligio mihi fuiſſet Opus Titiani tam eximium, tantoque in pretio à peritis habitum miſſum facere; Picturæ namque elegantia expreſſaque in eo hiſtoria tam egregium eſt, ut pictoribus plura diſcenda eruditioniſque ſacræ amantibus multa ſcitu digna ſuppeditet. Quæ ad picturam pertinent, tabella exhibet: Quæ verò ad explicationem ejuſdem faciunt, narratio manifeſtabit. Tobias junior cœci Patris juſſibus obſequens in Mediam profecturus, ut a Gabelo Medo, qui ſeniori Tobiæ talenta decem accepta mutua debebat, ad collapiæ variis caſibus familiæ reparationem exigeret: Dei munere, qui ſuos patrocinio numquam deſtituit, Angelum Raphaelem, cujus ductu iter tutum perageret, comitem habuit. Quantæ ſibi curæ ſint illi, qui a divinis mandatis ne latum quidem unguem diſcedunt, Deus ſemper oſtendit. Quis Hebrææ mulieris Judithæ immaculata vitæ probitate nunquam ſatis laudandæ fortem non miretur auſum, cùm Duci Holoferni Bethuliam innumeris propemodum copiis, immanique armorum ac machinarum apparatu obſidenti, caput in tentorio abſcidit? Quem ob tantum facinus ſtupor ingens non tenet? Deus nimirum è cœlo ejuſque Angelus Juditham ipſa teſte comitatus, imbecillitati muliebri tantum animi, tantum roboris contulerunt. D. Petrus tetro incluſus carceri ab Herode, vigilibus ſeptus cuſtodibus, ferreiſque vinctus catenis, Angeli ope incolumis evaſit. Sic Deus ſuis adeſt, quos tanto affectu fovet, ut numquam illis deſit, Angelorum miniſterio, cùm neceſſitas poſtulat, eis opportunè ſuppetias ferens. Cujus rei manifeſtum exemplum Junioris Tobiæ hiſtoria proponit, quæ inter ſacra monumenta ad pietatem erudiendos homines non ultima cenſeri debet. Qui omnia in ea recenſita, ex quibus plurima hujuſmodi percipiat, noſſe cupit, ſacrum codicem conſulat: Mihi enim, cujus tantùm eſt, tabellam explicare, quæ ſolùm ad id ſpectant, carptim refero. Niſi brevis eſſe cuperem, hìc producerem Paganorum aſtutiam, imitantium multa ſacra fidelium dogmata: Nonne creationem mundi utcunque ex ſacris Moyſis libris decerpſerunt? Nonne ſua Numina ex variis Dei attributis finxerunt? Nonne Genios quaſi Angelos Cuſtodes venerati ſunt? ſed hæc eruditioribus relinquantur. De Angelo, pro ſuſcepto inſtituto, jam ſatis dictum.

Adoleſcens Tobias piſcem branchiis tenet. Quid hoc ſibi velit, cognoſcere neceſſum arbitror. Vix itinere incepto, in amnem Tigrim ut ſe ablueret, Tobias exſcendit. Cùm ecce ingens piſcis ad motum aquæ ex profundo fluenti exiluit, a quo ſibi Adoleſcens timens, comitis auxilium pavidus imploravit. Ab eo firmatus

animo piſcem cepit, cujus felle poſtea cæco Patri viſum reſtituit. Quinam hic piſcis fuerit, qui magnitudine oreque forſitan hianti dentibuſque exſertis carnivorus Tobiæ tantùm pavoris incuſſit; Non contemnenda illorum ſententia videtur, qui ex illis fuiſſe aſſerunt, qui Callionymi, ſive Uranoſcopi, ideſt cælum ſpectantes, quia fronte lucidum oculum præferunt, nuncupantur. Quòd ejus piſcis felli naturaliter forſitan ea virtus inſit, veritati haud adverſatur. Super hac re namque Pater meus conſultus me docuit a Galeno ad eam rem pariter ſcribi quorundam animalium bile, inter quæ Medicorum idem Princeps & Callionymum recenſet, hebetem oculorum aciem acui, albugines tolli, aliiſque pluribus uſibus eandem prodeſſe. Porrò ſi quis in aliam ſententiam ire velit, per me licet: adſtruentique non naturali fellis illius virtute, ſed cælitus eidem indita, Tobiæ oculorum fuiſſe lumen reſtitutum, manus non invita dabo. Hæc de Angelo, Adoleſcente, ac piſce.

Canis ſupereſt, qui herum abeuntem proſecutus ejuſdem reditus nuncius, quo Patrem ob diuturnam filii moram ſollicitum exhilararet, illum revertentem præcucurrit: Ideo pluribus præcedens paſſibus à ſcito Pictore forſitan exprimitur Et quidem tanta canis fidelitas, qua heri lateri in tam longinquo, tamque diuturno itinere ſemper hæſit, prætereunda non erat. Inter animalia nullum cane fidelius. Curioſis Hiſtoricorum monumenta volventibus fidelitatis canum tot exempla occurrunt, ut admirationem afferant. Etiam apud Antiquos, teſte Homero deſcribente Ulyſſis canem, qui hero poſt annos viginti ædes repetenti, caudæ motu, auriumque demiſſione blandiebatur. Plura ſimul congeſta, quibus fidem vix adhibeas, me legiſſe memini apud Juſtum Lipſium *Cent. p. ad Belgas, Epiſt.* 44. quæ ni referentis veneranda, ut par eſt auctoritas, aliter ſuaderet, ægrè in animum inducere poſſem, ea unquam eveniſſe.

Quis autem ille ſit, qui è longinquo exhibitus inter amœni ſaltus proceras & frondoſas arbores, genibus flexis preces fundit, ſi quis meam ſciſcitaretur ſententiam, eſſe Tobiam ſeniorem libenter dicerem, cùm id hiſtoriæ ſeries exigat, reique veritati conveniat. Eo poſitu Pictor fortaſſe illum expreſſit, filii reditum Deum flagitantem, vel patientiam inter tot infortunia, quibus divexebatur, cæcitate videlicet, bonorumque jactura, Uxoriſque moleſtias pietatem impiè marito exprobrantis poſcentem, vel viſus jucundum ſolatium. Eligat quiſque quod ſibi magis arridet: Mihi namque aliud animo non ſedet, quàm probatiora è ſelectis Auctoribus, quos pro captu ſtudiorum meorum cauſa evolvo, excerpere, illaque legentis arbitrio eligenda permittere.

CHRISTI PRÆCURSOR IOANNES.

a Titiano pictus Venetijs, in SS. ædibus D. Mæ Majoris.

CHRISTI PRAECURSOR JOANNES,

A TITIANO PICTUS VENETIIS, IN SS. ÆDIBUS D. MARIÆ MAJORIS.

HAnc tabellam, ut artis prodigium periti ſuſpiciunt. Titiani opus, Sic paucis (pluribus quæ in ejus laudem dici poſſent, omiſſis) quo pretio habenda ſit, luculenter innuitur. Et quemadmodum *inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta*, ipſo Chriſto dicente; ſic fari liceat, inter Titiani opera hanc Joannis Baptiſtæ effigiem præcellere, quæ adeo venuſta & gratiis referta eſt, ut Joanni in omnibus ad amuſſim conveniat: cujus nomen ab Angelo, ſeu veriùs ab ipſo Deo impoſitum, *gratiarum plenitudinem* ſonat. Eo pictus eſt habitu, quo turbas docere videtur. Quæ omnia ut clariùs manifeſta fiant, illuſtratione nonnulla indigent.

Ut Phoſphorus ortum Solis præcedit, ſic Joannes Meſſiæ adventum quadraginta ſæculis, orbis totius anxiis & ſollicitis votis expetitum præcurrit: inde antonomaſticως *Præcurſor* dictus. Anno XV. quo Tiberius Romani Imp. moderabatur habenas, & Pilatus illius nomine Judex jus dicebat, Joannes expectatum Servatorem prænunciaturus, in publicum prodiit, non intermiſſis hortatibus homines ad expianda pœnitentiâ crimina commonens, ut tanto munere, quo Deus ipſos donabat, ſe dignos redderent: Et ne verbis ſuum deeſſet pondus, inaniave viderentur hortamenta, exempli auctoritate deſtituta, indumento ex Camelorum pilis contexto uſus, coriaceo loro præcinctus, locuſtas ac mel agreſte in cibum adhibens, ſitim aqua ſedans, vini & panis uſu amoto, in deſertam Judææ ſolitudinem ſe recepit. Illuc mirandæ venerandæque Joannis ſanctitatis cauſa, plurima hominum turba adventabat, quos ut à noxis reſipiſcerent admonebat, rationibus & exemplis minas adjungens, & Æterni Patris filium è cœlo delapſum, noſtraque fragilitate indutum adveniſſe inclamans. Neceſſitatem pœnitentiæ iiſdem ſuggerebat, ni eundem ſeverum Judicem, ac de illorum contumacia ſumpturum pœnas, experiri vellent. Judæi hæc audientes, quiſve Meſſias foret, qui jam, ut aſſerebat Joannes, advenerat, ignorantes, num ipſe Meſſias eſſet ſciſcitati ſunt, quibus reſpondens ait: *Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſteſtit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam corigiam calceamenti.* Jo. c. 1. Deinde, cùm ad Jordanem Judææ fluvium circumſtantis regionis amænitate celebrem Chriſtus veniſſet, fluminis lymphis à Joanne tingi popoſcit. Hic Joannes ſummo ſtupore correptus, quia ea de cauſa Chriſtus ad eum acceſſiſſet, tali ſe indignum munere obteſtatur. Humilitas poſtea ſic volenti Servatori ſe

obtemperans, aqua illum aſperſit: quo factum fuit, ut corporis ſui contactu, lavacri ſalutaris undas in Sacramentum Chriſtus conſecraret.

Poſt hæc Joannes ab Herode Antipa Herodis magni filio in carcerem truditur, quod eundem ſceleſtum Tetrarcham fratris Philippi thalamum inceſtu polluentem juſtè arguiſſet. Veritas peccantibus, ac in malo obſirmatè hærentibus ſemper inviſa. Id iniquus Herodes præcipuè fecit, ut ~~Heriodiadi~~, quæ Joannis increpationes ægrè ferebat, gratificaretur, cui Sancti viri mors inter omnia in optatis erat. Nemo magis vindicta gaudet, quàm fœmina; oh pudor: Nunquam impunè quis eam læſerit; Verbis laceſſere ſufficit, ut ultricem iracundiam exerat. Vitia, cùm callum obduxerint, ægrè emollies: Cùm corriguntur, magis aſperantur: Ut ulcera quæ inſanabilia, remediis obluctantur, dirioraque plerumque fiunt. Herodias in Joannem odio inſaniens ei necem ſtruit, nulla non arte opportunitatem quærens, qua Herodem non tam acriter Præcurſori infenſum, in ſententiam pertrahat, ac re, quod animo jam machinabatur perficiat.

Commodùm accidit, ut cum ſuo Natalis die cœnam opiparam Proceribus Herodes exhibuiſſet, puella ex Herodiade genita ad modulos ſaliens, Principi adeò placuerit, ut optionem quamcunque rem petendi, vel dimidium Regni, ei dederit. Herodias, quod vehementer concupiverat, nacta, puellæ ſuadet, ut Joannis caput in diſco petat, ut ſic vir ſanctiſſimus incæſtas nuptias juſtis increpationibus haud amplius objurgaret. Herodes promiſſione obſtrictus, cædem Joannis imperat, cui ſpiculator caput abſcidit, tragematum loco ferale menſæ ferculum additurum, in ſaltationis præmium Heriodiadis odio nefariè datum. Sic Joannes occubuit mortalium laudatiſſimus, omnibus à Chriſto ob ſanctitatem prælatus. Scelus tàm immane non diu inultum cæli juſtitia voluit. Dum Herodiadis filia ſuper glaciem ludens ſaltaret, ea non ferens pondus, quod gravabat horrendus reatus, repente ſubſedit: mox in ſe rediens puellæ caput amputavit: Qua in re divina ultio manifeſtè conſpicitur, dum ſaltatrix eadem pœna plectitur, qua Joannes, ea necem poſcente, injuſtè peremptus eſt. Nec Herodes impunis evaſit; nam poſt aliquot annos a Caligula principatu deturbatus, Lugduni in Gallia vitam ærumnis agitatam exul vixit; Herodiade pariter calamitatum participe ac ſocia, quæ amore quodam æquiùs uxori quàm adulteræ conſentaneo, illum proſecuta, in eodem exilio contabuit.

Hæc de Joanne, quem hìc ingenioſiſſimus Titianus ex inculta Eremi vaſtitate ad fertiles & amænos Judææ campos proficiſcentem exprimit. In cæteris, qualem Evangeliſtæ deſcribunt, miro artificio Titianus pinxit, ut non ſine admiratione, qui Ædem D. Mariæ Majoris Venetiis viſitant, teſtes eſſe poſſunt.

NATIVITAS IESV CHRISTI SERVATORIS,
Picta Venetijs a Paulo Calliario Veronense.

25

NATIVITAS JESU CHRISTI SERVATORIS.

VENETIIS A PAULO CALLIARIO PICTA.

CEleberimum eſt Venetiis Virginum monaſterium ad Caſtellum Divo Joſepho dicatum, cujus in templo inter cœtera pietatis ornamenta, egregia cernitur tabella in altari præcipuo collocata, Paſtores referens Infantem Jeſum ſtatim à nativitate adorantes: opus Pauli Calliarii Veronenſis, qui mirâ penicilli ſui elegantiâ pluribus in locis & prçcipuè Venetiis, ita excelluit, ut immortalitatem nomini ſuo comparaverit,

Quam non imber edax, non aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Docent Evangelici textus, nato Redemptore noſtro, illicò Paſtoribus Angelum apparuiſſe, eiſque editum in lucem Puerum annunciàſſe: his verbis Lucæ, cap. 2. *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David; & hoc vobis ſignum: Invenietis Infantem pannis involutum & poſitum in præſepio.* O verè fortunatos Paſtores, quibus gratia tam ſingularis contigit, natum in terris Deum primos cum Angelis adorare! Paſtores non proceres, ruſticos non Dynaſtas, agricolas non Reges habere voluit in ortu ſuo cæleſtis Infans, coram quibus primos ſuos ederet vagitus. Nec mirum, cum Paſtoribus primùm degit ipſe Paſtor, *qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis:* Paſtor & Agnus, Sacerdos ſimul & victima.

Audita cœleſtis nuncii voce, Paſtores ſumma celeritate animique lætitia profecti ſunt ad caulam, vel ut veriùs loquar, ad aulam vagientis Dei, *& procidentes adoraverunt eum.*

Angelos quoque Divini Pueri natalia celebràſſe tradit idem Lucas: *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum & dicentium GLORIA IN ALTISSIMIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONAE VOLUNTATIS.* Hæc in loro ſcripta ſunt, quod duo tenent Angeli in nubibus ludentes & hilariſſimè luctantes. Quemadmodum per Paſtores ſimplicitatem, ſic per Angelos innocentiam tueri debere nos ab incunabulis benigniſſimè docet Deus O. M. præceptis, ſacris ænigmatibus & myſteriis, ſaluti noſtræ continuò intentus.

Quod refert Evangeliſta, Pictor in hac tabella elegantiſſimè expreſſit: Cernitur enim Infans Jeſus in præſepe; vilibus pannis, fœnoque, non byſſo & purpuræ impoſitus. Sed quantus in ore lepor? Quæ lux in oculis? Quæ venuſtas in facie? Quæ in toto corpore pulchritudo & gratia? Ludere Puerum credideris, cui picto nihil deeſt ab animato.

Sanctiſſima Virgo mater, *quem genuit Puerum adorare* videtur, & dum linteamentis involuit, mira animi contemplatione intuetur, ut illam deſcribit S. Lucas: *Maria autem conſervabat omnia verba, hæc conferens in corde ſuo.*

Ad lævam Virginis cernitur Divus Joſeph Chriſtum Infantem adorans, oculis & animo, ineffabile Incarnationis myſterium meditans.

Paſtores ſex numerantur, partim Puerum adorantes, partim agnos eidem offerentes, omnes quod cernebant admirantes. Fovent halitu ſuo divinum Infantem Bos atque Aſinus, patientiam & manſuetudinem ejuſdem indicantes. Geminæ Turtures in ciſta ſuperbire videntur ſe ſummo Pontifici oblatas iri, Purificationis Beatæ Virginis hoſtiam tandem ſoluturas.

Refert hæc tabella ſtabulum, ultra quod nobilis conſpicitur ſcala, ut ex illo liceat opinari in vulgari diverſorio natum fuiſſe Chriſtum, ibique à Paſtoribus adoratum; Ex hoc verò in nobiliores ædes deportatum, ibique poſt aliquot dies à Regibus Magis viſitatum, & ſumma religione cultum.

Quid de Sene genua flectente, & junctis manibus Divinum Infantem adorante ſentiendum? Videtur ille Divus Hieronymus, ex Cardinalitio amictu & læna: Utrumque, Pictorum & jocus & error. Quis enim præter ipſos, Divum Hieronymum crederet Cardinalem? cum ille quarto ab Incarnatione ſæculo vixerit, Cardinales verò, prout dignitas nunc ſonat, non niſi anno Chriſti MCCXLIV. ab Innocentio IV. ſint inſtituti: cùm primis temporibus Cardinales eſſent, qui ut Parochi, Eccleſias Romanas regerent, non ſecus ac portæ reguntur à cardine. Læna in commemorationem Eremi, in quem lacrimabundus ſe reduxerat Hieronymus picta videtur. Sacceam ejus tunicam commemorat Marullus, quam Euſebius diſcipulus, eo defuncto, accepit honorique habuit, tactu ejus valetudinarios curans, & ad vitam ut fertur mortuos revocans. Nec veriſimile eſt prolixam aluiſſe barbam D. Hieronymum, qui toties contra ipſam declamaverit; ſed iterum Pictoribus id condonemus.

Conjectura eſt aliquem nomine Hieronymum, hanc templo donàſſe tabellam, quo utcunque ſanatur anachroniſmus.

IESVS LVDENS IN GREMIO SANCTISSIMÆ MATRIS, LILIVM TENENS. Ioseph Iuster sc.
Opus absolutissimum Leonardi Vinci pro Christianissimo Rege Francisco 1.
In adibus Patrimanis.

JESUS LUDENS
IN GREMIO SANCTISSIMÆ, MATRIS LILIUM TENENS,

OPUS ABSOLUTISSIMUM LEONARDI VINCII, PRO CHRISTIANISSIMO REGE FRANCISCO I. PICTUM. IN ÆDIBUS PATINIANIS.

INter celebres Pictores, quorum virtuti eximium decus acceptum Italia referat, Leonardus Vincius Aretinus non ultimas sibi partes vindicat. Hic ea pingendi laude sæculo proximè elapso floruit, ut summis pictoribus par, si non major meritò prædicetur. Qui Pictorum vitas, operaque commendatione digna recensent, pluribus in eo exornando laborant, ejus virtutem laudum plena manu cumulantes. Præter illam, ad quam maximè incubuit, artem, callebat etiam pöesim, musicam, arithmeticam, geometriam, mathematicam, architecturam, ipsum etiam commendabant Nobilium exercitia, summè quippè delectabatur equis & armis, quorum tantam habuit peritiam, ut inter præstantissimos excelleret.

Eo tempore vir summus inter vivos agebat, quo pariter Michäel Angelus Bonarota, operum fama nunquam intermoriturum Sibi nomen comparabat. Uterque ideo totis viribus contendebat, ut alteri pingendi peritia nequaquam cederet. Hinc suborta æmulatio qua certatim alter alterum præcellere conabatur, in apertam tandem rixam desit: Prælatus aliquando Michael Angelus, Vincii non levi indignatione, qui æmulo se post habitum ægrè ferens, inque Italia diutius manere parum sibi decorum arbitratus, inde excedere, alioque abire constituit, ubi æquioribus ingenii virtutisque æstimatoribus sua probaret.

In Galliam itaque profectus artis claritudine, Francisci I. Galliarum Regis, litteras optimasque artes toto liberalitatis nisu promoventis, animum adeo sibi obstrinxit, ut inter Regi charos haud secundus fuerit. Cujus rei præter alia, hoc refertur exemplum, cùm Vincius gravi correptus morbo decumberet: Rex enim ægrotum humaniter invisit, lectuloque assidens complexu quantopere Vincium diligeret, quantique haberet ostendens, anhelitus morientis postremos, ingentem illius visitationis honorem non sustinentis, excepit, an. 1520. æt. 75. Tanti apud Regem erat Leonardi virtus, ut majestatem tanta benignitate demittere dignaretur. Sic Rex optimus virtutem fovebat, liberalitate ac affectu ea præditis ad illustria quæque capessenda animum addens. Quamobrem arte aliqua scientiave præstantes, Parisios turmatim confluebant, præclarè secum agendum meritò rati, ubi tanti virtus æstimaretur. Cujus quidem æternum facient monumentum Professores illi *Regii* dicti, Regis munificentia undequaque conquisiti, si qui supra subditos saperent. Hæc de Pictore.

Quod verò ad tabellam ſpectat, ſciendum eſt illam inter præcipuas, quas inſignis artifex pinxit, recenſeri. Cùm enim Regis juſſu multa Pariſiis, multa in Regia Fontis-Bellaquei baſilica pinxiſſet, omnem artis induſtriam, quam diviſim in aliis operibus impēdit, in hac una tabella congeſſiſſe videtur, ut Regiæ pietati, cui apprimè id in optatis erat, gratificaretur: Et quidem Regis votis, Pictoriſque ſedulitati eventus reſpondit. Etenim Virginis Deiparæ ſacram effigiem perfectione adeò conſummata expreſſit, ut neque concinnæ partium conformationi, neque venuſtati quidquam deſit, quod in opere abſolutiſſimo vel ipſa moroſitas deſiderare poſſit. Colores autem tam affabre induxit, ut vividos adhuc intuentibus ingentem illi ſtuporem ingerant. Nonnullos audiviſſe me conquerentes de capillorum colore, referre fas ſit: Nec enim, inquiebant, convenire videntur rufi capilli formoſiſſimæ Virgini, pulchræ ut Lunæ, toti ſine macula: *Nigra* deinde habetur in Cantico: At facile id conciliaret doctiſſimus noſter Pictor, ſubfuſcam illam nigredinem ad cutem non ad capillos referens, quam neque exiſtimavit pingendam, ne oculis noſtris minus arrideret ſanctiſſimæ Virginis facies: Præterea rufos capillos Italis placere palam eſt, ut rutilantes & candidiores ſeptentrionalium populorum comæ, ornandis utriuſque ſexus capitibus maximo in pretio habeantur.

Chriſtus infans manu lilium tenet, Galliæ ſymbolum. Hunc florem, eraſis bufonibus, Gallico appictum ſtemmati poſtquam Clodoveus rejectis Ethnicorum deliramentis, noſtræ religioni nomen dedit, nemini qui prorſus in rebus Gallicis hoſpes non ſit, ignotum arbitror.

Porrò qua ratione tabella hactenus laudata in Patris mei pervenerit manus, palam facere operæ pretium exiſtimo, rerum miras viciſſitudines relatura. Franciſcus Galliæ ac Henricus Angliæ Rex, quò teſtatius alter alteri reciprocam amicitiam probaret, muneribus invicem ſe donabant. Inter alia hic illi Holbenii tabellas cùm dono dediſſet, viciſſim lectiſſimum Vincii opus accepit. Hoc non injuria maximi æſtimatum, Regina Maria *Catholica* dicta ob reſtitutam confirmatamque in ſuo Regno Catholicam Religionem, à qua Henricus deſciverat, inter Regiæ ſupellectilis gazas præcipuo in loco repoſuit. Cromuello tandem in Anglia rerum potiente, immani cæde, inauditoque exemplo per ſummum nefas interfecto Carolo Rege, pretioſa quæque diurno annorum interjectu a tot Regibus congeſta, diligenterque iis regnantibus ſervata, iniquis tyrrani juſſibus publicata ſunt, ac ſub haſta per præconem vendita. Ex Anglorum Proceribus multi rerum, prout magis arridebant, delectu habito pro libito & pretio, diſtractas regias opes emerunt. Tandem hoc Leonardi Vincii incomparabile Opus, vel emptore lucrum ex venditione augere cupiente, vel alia quacunque de cauſa, Pariſios delatum eſt. Celeberrimi denique Peruchotii hæredibus impellentibus, ſeu veriùs Dei nutu, lectiſſima tabella in Parentis mei manus incidit, nulla pretii ab eo ratione habita, ne Operis tam illuſtris acquirendi opportunitatem, quam feliciter nactus fuerat, pateretur elabi. Eam jamdiu in noſtris ædibus ſervatam ſuſpicere licet, adhuc adeo integram, ut recenter efformatam rerum ignarus ſuadere forſitan ſibi poſſet. Diu ſervetur in noſtra familia, ut diurno ejus poſſeſſu, Franciſci I. Regis, Leonardi Vincii, paternique animi monumentum ob oculos longum habeamus.

PISAURORUM

PISAVRORVM NOBILIVM VENETORVM FAMILIA.
Christo Virginique supplicans,
a Titiano picta Venetijs, in templo dicto di Frari.

PISAURORUM NOBB. VENETORUM FAMILIA, CHRISTO VIRGINIQUE SUPPLICANS.

A TITIANO PICTA VENETIIS, IN TEMPLO *DI FRARI*.

NObilis Piſaurorum Familia Veneta ſacellum celebrari cùpiens in ædibus Fratrum D. Franciſci, vulgò *Frari* dictorum, à ſe fundatum, ſub invocatione conceptionis B. Virginis, Titianum elegit, qui præcipuam ejus tabellam pingeret. Eximius ille vir, corporis ætate atque animi robore tunc florens, penicilli miraculum eò deduxit, ut omnium conſenſu nil pulchrius unquam abſolverit.

Nullum peculiare SS. Religionis myſterium refert hæc tabella, nec Pictorem immaculatæ conceptionis B. Virginis potius ideam prodidiſſe, quàm cæterorum ejus attributorum veriſimile eſt, cùm nil appareat præter honoris ſigna Virgini matri ab omnibus Chriſtianis continuò debita.

Titianus artem flexit ad lubitum, devotionemque Patronorum Sacelli, multos in tabella congregari cupientium, qui nec B. Virginem unquam viderunt, nec præterea ſeipſos viciſſim videre potuerunt, cùm variis admodum ſæculis vixerint. Frequenter id occurrit apud Pictores Longobardos, penes quos, omiſſa omni temporum ratione, quælibet religionis nomine populorum ſimplicitati concedebantur. Hunc pingendi morem nec laudare nec vituperare animus eſt: Id unum proferam, Pictoribus, quibus ut Pöetis multa ſupra cæteros licent, difficile fore Fidelium erga Sanctos zelum myſteriaque Religionis noſtræ exprimere, ni hujuſmodi libertates ipſis concederentur.

Scæna tabellæ templum refert undequaque apertum, columnis duabus egregiæ architecturæ indicibus nobilitatum. Ad latus ſiniſtrum ara cernitur, ad quam duobus gradibus patet aditus: ſuper ipſa, ſedet Virgo mater dilectum Filium tenens, corpus ſuum caputque in anteriorem partem flectens, quò facilius preces audiret Epiſcopi totam Piſaurorum familiam ejus protectioni ſubmittentis, Chriſto interim hanc eãdem ſupplicem intuente. Pictoris penicillus mentis aciem ſuperaſſe videtur, dum lepidè ludentem Infantem pinxit, more ætati convenientiſſimo: Sic quippe expreſſit Verbi Incarnati hilaritatem, ſub humana ſpecie obvolventis Deum adeo immenſum, adeo terribilem, adeo bonum.

In pingenda Sacratiſſima Virgine collectum eſt, quidquid ab arte, quidquid à natura ſubminiſtrari poteſt, egregia ejus forma ac decora venuſtate adeò nobilibus & gratioſis, ut certatim pietatem religioſumque timorem imprimant.

Ad latus dextrum Virginis, aræ innixus cernitur D. Petrus, manum decenter in librum extendens, Epiſcopum intuens in ima altaris parte genibus flexis, Piſaurorum preces Deiparæ offerentem. Hi autem, genibus etiam flexis, quinque numerantur, Senatores ſcilicet quatuor purpurea toga induti, juveniſque ſericea alba veſte; omnes ad ſtuporem picti, ut quidquid clariſſimi Autoris mens, vis & induſtria exprimere potuerint, hîc conſpici mereantur. Juxta hos in ſuperiori ſcala cernuntur Sancti duo, ex veſte cœnobitica conſpicui, Franciſcus cui dicatum templum caput & oculos zelo planè ſeraphico ad filium matremque dirigens, meditationum ſuarum, actionumque exemplar: Comes illi adeſt Antonius, vulgò Patavinus, devotè humiliterque librum legens.

S. Theodorus antiquus Venetiarum Patronus, latus D. Petri claudit, & ad aram fidenter per ſcalam aſcendere videtur, undique armatus, Virgini præſentaturus Tartaras Ethnicaſque quas vicerat nationes, ad SS. Chriſtianam Religionem cultumque Servatoris noſtri Matri debitum deductas, vexillo laureato talem triumphum indicante.

Superioris tabellæ partem occupat cœlum planè cæruleum nubibus interdiſtinctum: In ſupremis, duo ſpectantur Angeli Crucem quaſi ſtabilientes Chriſtianæ Religionis fundamentum, unicam fidelium ſpem, confundendæ humanæ ſuperbiæ, & roborandæ noſtræ fidei ſymbolum.

Figuræ totam tabellam adeo nobiliter occupant, ut nullæ niſi egregiè diſpoſitæ, nullæ niſi maxima arte delineatæ; Omnes ſumma induſtria tum objectorum tum actionum varietate oculum mirè recreantes. Inferiorem laudem non meretur colorum delectus, unoquoque perſonarum habitui conveniente, ut quidquid carneum eſt, ſanguine refertum & vivum pro ætatis conditione videatur. Omnium veſtes ita pictæ ut ſericum, pannum, linum, ipſum credideris. Arma Equitis Theodori ex chalibe polita adeo ſplendida ſunt, ut ſpeculum referant. Tanta porrò cum vi ſuavitateque colores diſpoſiti ſunt, ut eorum concordia lætiſſima voluptate oculos recreet, non ſecus ac aures vocum fidiumque harmonia. Cœterum tot numeris abſolutam hanc tabellam quò diligentiùs inſpiciunt artis periti, eò certiores evadunt, eximium Pictorem maximè ſe oblectaſſe in finiendo tanto opere.

Hujus imaginis ſcalptor ingeniosè colores aſſecutus eſt, eorumque tonum. Juvat illos ruditer perſequi ad artis pictoriæ Studioſorum utilitatem. Cœlum totum cæruleum eſt cyaneumque, à ſuprema parte ad imam, vim minuens, nubibus in medio clarioribus, in ſuperiori parte ex cinereo rubicantes coccineæ: Binæ columnæ leucophæi terreſtris ſunt coloris. Velum B. Virginis lineum & album eſt. Veſtis ex minio ſeu purpuriſſo, tunica cærulea. Divi Petri tunica cyanea eſt & obſcura, pallium croceum. Divi Franciſci veſtis, terreſtris coloris eſt, ordini ſuo proprii. S. Theodori vexillum, frondem emortuam refert. Amictus Epiſcopi caſtaneus; Senatorum toga purpurea rubra. Ara & gradus ad ipſam, è marmore cinereo nigricante. Hæc pro cœteris dicta ſunto.

CHRISTVS INFANS PRÆSENTATVR PONTIFICI.
Paulus Calliarius Veronensis pinxit Murani.

CHRISTUS INFANS PRAESENTATUR SUMMO PONTIFICI.

PINGENTE PAULO CALLIARIO VERONENSE, MURANI.

IN adjacente Venetiis insula, vitriariis officinis nunc clara, *Murano* dicta, ædes non paucæ visuntur egregiè constructæ pictæque, ad quas ut ad suum suburbium secedebant multi Nobiles. Post degustatas porro continentis soli, agrique Patavini ac Tarvisani delicias, nonnihil remissus fuit Murani cultus, ut postmodum elanguerit, & soli fere fornaces, speculorum immensitas, atque ostreorum numerus, famam istius servare videantur. Multæ tamen ibi latent eximiæ tabellæ, quarum unam hìc commemorare lubet, à Paulo Calliario Veronense depictam, majus altare monasterii vulgò *le Dismesse* dicti ornantem, quæ purificationem Beatæ Virginis exprimit, infantem Jesum Deo in templo offerentis.

Inter præclarissima virtutum omnium ornamenta, quibus abunde emicat Sanctissima Virgo, humilitas effulget præcipuè, quà se velut infra cæteras positam contemnens, ad illud dignitatis fastigium meruit exaltari, ut Dei hominis mater effecta, tanquam cælorum Regina, terræque Domina, super omnes Angelorum choros fuerit honorificentissimè collocata. Hàc illa semper excelluit, sed speciali quodam exemplo in suæ purificationis mysterio, cui se tantummodo tradidisse credendum est, ut mirabile planè humilitatis suæ specimen exhiberet. Quis enim dubitare auderet Virginem levissima cujuscumque labis umbra penitus caruisse, quæ Christum sola *Divini Spiritus obumbratione concepit* peperitque, quin aliquod Virginitatis suæ pateretur detrimentum: *Virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum*. Nullaque igitur ratione tenebatur Maria legi Moysis obtemperare, seseque in templo purificandam sanctificandamque præbere, *cùm macula non esset in illa; & tota pulchra esset*, à Deo jam sanctificata. Nihilominus & purificari voluit ut cæteræ mulieres, licet *inter mulieres benedicta*, & offerre Domino *Benedictum ventris sui Fructum*, sicut scriptum est in lege Domini: quia *omne masculinum*, cùm primùm nascitur, *sanctum Domino vocabitur*. O inauditum humilitatis exemplum! O singulare humanæ superbiæ trophæum! Hem nos humunculi, si quid honoris quem ex ambitionis inani opinione debitum existimemus, vel minutum, vel ex justitia non tributum videamus, excitamus turbas: tantum abest ut vel tantillum gradu velimus decedere. Adeo multi ab humilitate abhorrent, ut virtuti inimicum vitium, nulla honesti meritorumque apud Deum ratione habita, sedulo consectentur, quasi humilitatem

complecti nolumus, aliorumque ornamentorum, quæ maximi homines æſtimant, jacturam ferret ; Cùm verius virtus venerationem decus & pretium apud omnes ſibi conciliet, atque a malis cultum & admirationem vel invitis extorqueat .

Paruit igitur virtuti ſuæ potiuſquam legi ſacratiſſima Virgo, venitque cum Sponſo ſuo Joſepho in templum, infantem Jeſum coram Simeone & Anna Prophetiſſa præſentans, obtulitque pro eo par turturum : Excepit autem Simeon Puerum in ulnas ſuas exultans & dicens, *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, &c.* Verè mortis cupidus cùm vitam reperiſſet. Quid illi ampliùs cum mundo, ſi mundi autor & conditor plura & pretioſa morituro paraverat ? Sapiens igitur Simeon cælitus edoctus, terrena deſpiciens, cæleſtia deſiderabat. Mors qua innata formidine alii timent, beatitudinem cupienti, terrori non erat, Mortem paveant viles animæ, quibus pro numine venter, & caro eſſe ſolent. Si puerulus Jeſus tam vilia omnia terrena, etiam dum fragili noſtra mortalitate amictus ſuam gloriam ſuamque majeſtatem nonniſi ſub umbra, adductoque ſipario manifeſtavit, ſancto Seni reddidit, quam vileſcent omnia, cùm ſe ipſum, nullo impediente velamine Deus oſtendet?

Virginis igitur humilitatis myſterium præclariſſimè expreſſit Pictor in iſta tabella, in qua cernitur Deipara Virgo coram Simeone infantem Jeſum offerens, Divo Joſepho ad dextram Præſulis ceream accenſam facem prætendente, miniſtro genibus flexis idem faciente : Omnes ita ad ſtuporem picti, ut mirè Divinitas in Puero, cæleſtis amor in Virgine, ſingularis in Divo Joſepho ſanctitas eluceſcat. Tam benè colores ſingulis aptavit Paulus, ut omnia non ſolum corporis ſed etiam animi ornamenta facile ſit in ipſis intueri. Sic de illo, quod de Timanthe celebravit Plinius verè dici poteſt, *in cujus operibus intelligitur plus ſemper quàm pingitur, & cùm ars ſumma ſit, ingenium tamen ultra artem eſt.* Miratur Simeon, fixa oculorum acie in Puerum converſa, viſus animi lætitiam effundere cum ſuo cantico. Sacram Thiaram, quam mitram vocant, ſacrumve lituum ſeu pedum paſtorale adſcripſit Simeoni Pictor, ut qui Antiſtes apud Hebræos fuerit, inſignibus Chriſtianorum Epiſcoporum ornamentis decoraretur. Cernitur quoque pone Beatam Virginem Anna Prophetiſſa, oculis & mente arcana cæleſtia voluens. Inferiùs mulier genua flectens geminas in ciſta turtures offerre videtur, paupertatis indicium, cùm Agnus à divitibus immolaretur : Juxta illud Levitici, cap. 12. *Quòd ſi non invenerit manus ejus, nec potuit offerre Agnum, ſumet duos turtures vel duos pullos columbarum.*

Templi partem refert hæc tabella, nobilibus columnis ornati, quod tamen ita factum fuiſſe credere vetat frequens Pictorum ac præcipuè Pauli licentia, qui omnia fere ſemper, non ad veritatis antiquitatiſque normam, verùm juxta id quod ingenium ſuggerebat, & placebat genio, ſcitus effingebat.

Titianus P.

N. R. cochin d. sculp.

SANC'TISSIMÆ FAMILIÆ IN ÆGYPTVM FVGA

Opus Titiani dum in Hispaniam deportaretur naufragio periit.

SANCTISSIMAE FAMILIAE IN ÆGYPTUM FUGA.

OPUS TITIANI,

DUM IN HISPANIAM DEPORTARETUR, NAUFRAGIO PERIIT.

AErea monumenta fatiſcere, mori etiam ſaxa, qui cecinere Poetæ, inducere videntur molliorum corporum ruinam ſæpiùs eſſe deplorandam: Tabellam hanc ad aliquot tantùm ſæcula duraturam præcox ſors rapuit, quam dum ad Catholicum Hiſpaniarum Regem ab Auſonia in Heſperiam deportaretur naufragio miſerè periiſſe audivimus. Unum ſit poſt tantam jacturam ſolatium, eximium hoc Titiani opus, manu Varotari ob patriam *il Padouanino* dicti, reviviſcere, cujus exemplum abſolutiſſimum Venetiis ſervatum, Libitinam effugerit.

Beatiſſimam Virginem cum puero Jeſu & Divo Joſepho in Ægyptum divino monitu ſeceſſiſſe tradunt ſacræ paginæ. Cùm enim Herodes crudeliſſimus Judæorum Rex a Magis de Regis cœleſtis ortu certior eſſet factus, ſtolidè metuens ne quod avidiſſimè tenebat regnum, Deo naſcente ſibi eriperetur, Divinum Infantem barbaro planè conſilio perdere atque de medio tollere meditabatur: Verè ſtultus in hoc, cùm incautè ſuſpicaretur regnum ſibi mortale diripiendum à Puero qui venerat cœleſte hominibus elargiturus. Sed quid poſſunt in Deum humana, imbecilla, & temeraria conſilia? Non is Deus eſt, ut ab fallacibus hominum mentibus decipiatur: Suæ voluntatis nutu quidquid humana vafricies dolo aggreditur, nulla difficultate disjicere valet. Ecce omnipotens rerum conditor, æternus Pater, unigenitæ ſuæ prolis ſervatoriſque hominum ſervator, cœleſtem Puerum Herodis politicæ feritati ſurripuit: Non ut illum morti raperet, quam erat pro nobis juxta Prophetas ſubiturus, ſed quia nondum è ſententia ut in cœli conſeſſu ſtatutum erat, ad pœnas quas Judaica paratura erat crudelitas, aptus, Divini ſui ſanguinis pretium poterat effundere, quantum immenſus amor exigebat: *Et quia nondum venerat hora illius.* Cœleſti igitur nuncio Infantis vitæ conſulit, qui ad Joſephum filii ſui cuſtodem, nomine haud re parentem, miſſus noctis tempore, ſic illum ſomno indulgentem affatur: *Surge & accipe Puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi: Futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum, ad perdendum eum.* Divinis Joſeph mandatis ſtatim obtemperans, ſine ulla temporis intermiſſione, cum matre Virgine & Infante Jeſu feceſſit in AEgyptum. Sic Herodis immanitas eluſa, ſic puer in tuto poſitus, ſic hominum ſaluti conſultum.

Fugam hanc planè feliciſſimam elegantiſſimè expreſſit in hac tabella Pictor eximius, in qua cunctas artis ſuæ vires & penicilli miracula collegiſſe nemo dubitaverit. Quænam enim pulcherrima licet Theſſaliæ totius arua, quæ loca deliciis omnis affluentia, quæ viridaria Tempe fontium hinc inde & nemorum voluptatibus florentia, pictæ hujus tabellæ amœnitati poterunt comparari? Pictorem hìc effinxiſſe Paradiſum terreſtrem crediderim, ubi pulcherrimi agri, lacus, nemora, montes, umbroſæque valles, ſingula miro ordine diſpoſita, ineffabili jucunditate oculos recreant, animoſque divina planè lætitia perfundunt.

Verùm quantum addit hujuſce terræ felicitati gaudium & ornamentum Perſonarum hìc exiſtentium dignitas? Inſpiciamus Puerum Jeſum in ſinu matris lepidè ludentem, Quid pulchrius? quid divinius oculis contingere poteſt? Intuere Mariam dilectum filium in ulnis ſuis cuſtodientem & foventem, panno arbori appenſo, quo ardentis ſolis æſtus mitigaretur. Quanta in ore majeſtas? quæ in oculis pulchritudo? quantus in virgineo vultu ſplendor elucet? Oculos in Joſephum convertamus, tantarum animarum cuſtodem & ducem, Quid ſanctius? quid affabilius? quis amor in Patre ardentior eſſe poteſt? Joannes quoque agnina pelle conſpicuus, adhuc adoleſcens nemorum inquilinus, & vitæ ſanctioris pabulis deditus, Beatæ Virgini cœleſtique Infanti videtur blandiri, poma & fructus iiſdem offerens? Angelos in nubibus & inter arbores colludentes, comites tam ſanctæ ſocietatis in itinere ſuo credere fas eſt, ut Pictor effinxit; Quam rem audendi æquam poteſtatem pietas meritò dedit: non enim ſemper mentiendi licentia Pictores malè audire putandi ſunt. Mulierem illam frondes ab arbore decerpentem, putarem hanc eſſe Virginis affinem vel aſſeclam, ſeu quamlibet aliam ſcitum Pictoris ingenium à veritate haud abſona induſtria fingat.

Aſinus ille profectò cœleſti oneri bajulando deſtinatus eſt: Revocat in mentem Nealcis ſolertiam a Plinio commemoratam, qui *cùm prælium navale Ægyptiorum & Perſarum pinxiſſe, quod in Nilo cujus aqua eſt mari ſimilis, factum volebat intelligi, argumento declaravit quod arte non poterat: Aſellum enim in littore bibentem pinxit, & Crocodilum inſidiantem ei*. Mitis ille Agnus, ſymbolum Servatoris noſtri primis Chriſtianis ſæculis habebitur, & æternùm merebitur. Anates cuniculique duo fæcunditatem regionis indicare videntur: At hi forſan ideo appoſiti, quò acceptior Hiſpanis foret tabella: Cuniculus quippe ex antiquis nummis Hiſpaniæ ſymbolum, & *Celtiberia* exinde *cuniculoſa* dicta fuit.

In longinquiori proſpectu tum cervus cubat, tum plurimi viſuntur monticuli, ad indicandam fortaſſe Arabiæ deſertæ viciniam, quam è Syria peregrinantes in Ægyptum, ad lævam relinquebant. Conjecturæ favet, nullam hic conſpici palmam, quamvis ob copiam, tum Syriæ, tum Ægypti fuerit hieroglyphicum. Id vero ſimile videtur. An autem Pictor aliud innuere voluerit, vel huc non reſpexerit, cùm id non liqueat, certò aſſeri nequit. Potiora cuique liberè conjicere licet.

Patauinus Pinxit

C Mart. Desbois gall. sculp.

CHRISTVS MANIFESTAVIT GLORIAM SVAM IN CANA GALILEÆ. Ioan. c. 2.

Alex: Varotarius dictus Patauinus pinxit, Patauij, in monasterio S. Ioannis de Viridario.

CHRISTUS MANIFESTAVIT GLORIAM SUAM IN CANA GALILEÆ.

ALEX. VAROTARIUS, DICTUS PATAVINUS, PINXIT PATAVII IN MONASTERIO S. JOANNIS DE VIRIDARIO.

Uptiale convivium in Cana Galileæ inſtructum exponit hæc tabella, in qua Servatoris noſtri primum conſpicitur miraculum quo ſe Deum manifeſtavit. In Cana Galileæ, quæ ſita erat in Tribu Zabulon, in Galilæa nimirum inferiore, quatuor circiter horis a Ptolemaide, tribus verò a Nazareth, illud factum fuit. Simon Cananæus, non ut quibuſdam videtur, Joannes Evangeliſta, uxorem duxerat. E Cleopha Joſephi Sanctiſſimæ Virginis ſponſi fratre natus, illam ut amitam, Chriſtum ut conſobrinum ad nuptias cum Diſcipulis invitaverat. Ex his tamen paucos convivio interfuiſſe veriſimile eſt: Chriſtus enim non niſi poſtquam Herodes Joannem præcurſorem in carcerem truſit, Diſcipulos colligere cœpit, miraculum porrò hic exhibitum ante patravit. Qui autem illi fuerint, quos ad nuptias ille ſecum duxit, haud ægrè in eorum ſententiam ierim, qui Nathanaelem, Philippum, fortaſſis etiam Petrum & Andream, qui jam tribus ante diebus ad Jeſum venerant, fuiſſe illos arbitrantur.

Accidit, ut in convivio, fortè ob multitudinem bibentium, ſeu veriùs ob rei familiaris anguſtiam, qua Sponſi laborabant, vinum deficeret: Virgo Mater Filium rogavit, ut eorum neceſſitati proſpiceret, quod & fecit. Res autem ſic ſe habuit. Ibi ſex hydriæ, ſeu ſex vaſa aquaria poſita erant, è quibus Phariſæi juxta ſuas traditiones, ſi quid immundi ex eorum ſententia tetigiſſent, aquam haurientes, religionis ſeu potiùs ſuperſtitionis ergò, manus lavabant, ea ratione expiari ſe exiſtimantes. Ex illis ſingulæ metretas binas, vel ternas capiebant, (Metreta græcè idem eſt ac menſura a metiendo ἀπὸ τῦ μετρῆσαι dicta) ſive congios decem, ſeu ſextarios Hæbraicos ſeptuaginta duos. Hinc adverſus paſſim receptam & vulgatam opinionem haud ab re videtur aſſerere, hydrias illas, quæ in aliquibus locis ſervantur, monſtranturque tanquam ex iis quæ in hiſce nuptiis adhibitæ fuerunt, eſſe omnino ſuppoſititias, cùm illis longè minores luculenter deprehendantur. Jeſus igitur has omnes hydrias aqua impleri uſque ad orificia juſſit, ut clariùs conſtaret miraculum: videlicet, ne ſi quid vacui fuiſſet, quis judicare poſſet, Chriſtum aquæ ſuperfudiſſe vinum, quod illi ſubjectæ vini ſaporem & colorem communicaſſe perperam crederetur. His peractis, aquam in vinum mutatam poculis minoribus ex hydriis haurire, atque ad Architriclinum ferre miniſtros juſſit, ut guſtaret: Qui miraculi neſciens,

Sponſum compellavit, ab eo ſciſcitatus, quare vinum melius & ſuavius ad menſæ finem ſervaſſet, cùm ſecùs faciendum eſſet. Hæc juxta Evangelicam hiſtoriam.

Ad uberiorem autem eruditioremque ejus notitiam facit, ſcire quis Architriclinus, quodque illius munus eſſet. Animadvertendum igitur eſt, priſcos Orientales, præſertim Hæbreos, Syros, Ægyptios, & Græcos, nuptiarum vel læti alicujus eventus cauſa, opipara inſtituiſſe convivia, quibus virum induſtrium ſolertemque præficiebant. Idem faciebant & Romani. *Dominus convivii & Modimperator*, à Varrone, & Macrobio: a Tacito *Rex convivii*; ab Horatio *cænæ arbiter*: a Moſe in Geneſi, *Princeps pincernarum*: ab Apoſtolis *Diaconus*: A Græcis ἡγέμων, συμποσίαρχος, τραπεζοποιός, βασιλεύς: in Evangelio, Architriclinus appellatur. Illius erat, convivas omnes excipere, ſalutare, ac ſuam cuique ſedem ſtatuere; Proſpicere ut dapes & potus pararentur, aptè adeſſent, ordineque inferrentur in menſam, jocos & ſcommata moderari, ſermonibuſque convivialibus legem imponere, comedendi bibendique rationem, ut cuique congruere norat, præſcribere: Et convivio igitur, cui Chriſtus cum Diſcipulis intereſſe dignatus fuit, Architriclinus præfuit.

Inde tamen haud colligendum, ea fuiſſe actum magnificentia, qua pompæ quàm veritatis amantior Alex. Varotarius illud pinxit, quem juvat Scire Patavinum vulgò cognominatum, *il Padovanino*, etſi parens ejus è nobilibus Argentoratenſibus, Lutheranæ factionis cauſa, patriam potiùs quàm avitam fidem deſerere ſuſtinuerit. Qui enim tam ſplendidus apparatus, tam cultæ, propèque regales Sponſorum veſtes, arcuum penè triumphalium majeſtas, tam magnifica ludionum muſicorumque oblectamenta conſanguineorum Chriſti paupertati congruere poſsunt? Magnificentiſſima ergo mendacia, dum artis ſuæ opulentam oſtentat induſtriam, & peritiam nobis Varotarius obtrudit, nobilem picturæ varietatem ſectantibus, non tamen veritatem hiſtoricam quærentibus conſules. Sic præclarè tantùm agitur cum iis, qui accuratam diligentiam, venuſtam diſpoſitionem, aptam menſuram atque adeo artis cothurnum in pictura concupiſcunt. Quæque tanti operis quiſque naris haud obeſæ ſingillatim perpendat; Et ni ſingula ſtupore admirationeque digniſſima invenerit, illi de ſententia meritò conqueri liceat. Si verò ab judicio noſtro alienus haud fuerit, Virum tantum promeritis laudibus cumulare non abnuat. Sic virtuti ſua merces tribuetur, ſic eximii artificis nomini nunquam antiquando præmium, ut par eſt, juſtitia dabitur.

Natal. Cochin. fc.

IN NVPTIIS, CHRISTVS AQVAM CONVERTIT IN VINVM.

Andreas Vicentinus pinxit Venetijs, in SS. Ædibus omnium Sanctorum.

IN NUPTIIS CANA,
CHRISTUS AQUAM CONVERTIT IN VINUM.

ANDREAS VICENTINUS PINXIT VENETIIS, IN SS. ÆDIBUS OMNIUM SANCTORUM.

SI Pictoribus, non pompa ſed rerum veritate, pingendo inclarescere potius liberet, Eruditis uberiùs ſatisfacerent. Verùm cùm artis oſtentationi fere toti indulgeant, oculos magnifica rerum ſpecie illudere varietate oblectare illis tantum eſſe curæ videtur. Quò fit, ut artis quidem plauſum à ſpectatoribus vel invitis extorqueant; ſed ipſi ſe vel antiquitatis ignaros veritatiſque imperitos, vel apertè negligentes detegant. Id moris Paulo Calliario, ut videre datur in omnibus ferme ipſius operibus, Tintoretto, Varotario, aliiſque fere omnibus, qui primas inter Italos pingendi tulerunt, penè ſemper eſſe conſuevit. Quod ut facerent, id unum in cauſa præcipuè fuiſſe arbitror, nimirum ut omnes picturæ partes æquè ſe callere manifeſtarent. Cùm enim pauci reperiri poſſint, qui adamuſſim omnia excellenter pingere noverint, illi ſummi Viri, ut ſumma pingendi peritia internoſcerentur, in omnibus ſe præſtantes patefacere voluerunt. Quotuſquiſque namque eſt, qui ſi homines exempli cauſa ſcitè pingat, idem flores, herbas, arbores, campos, regiones, columnas, arcus, palatia, trophæa, pluraque alia innumera pingere valeat? Non omnia omnes poſſunt: Alius alium in pluribus præcellit. Summi proinde viri, ne qua in parte deficere viderentur, in ſuis operibus omnia ſimul congerebant, oſtentationis non veritatis delectu habito.

Id quàm verum ſit, vel hæc una Vicentini Tabella palam facere poteſt. Quid quis deſideret, quod ille conſpiciendum non præbeat? Sane cuncta ex quibus pictura famam captat, Vicentinus exhibuit. Quiſquis attentè citraque livorem Tabulam perpenderit, corpora caſtigatioribus picturæ legibus formari, aptiore poſitu diſtingui, concinniori venuſtate repræſentari non poſſe fatebitur. In ſingulis namque ea eminet elegantia, ea dignitas, ea vivida lineamentorum ſymmetria, ut Vicentini loco, vel ipſa natura, vel Charites pinxiſſe credi poſſit. Quàm ſcitè umbras lumine cuique parti appoſitè affecto inducit! Quàm ſolerti penicillo, congruente variis animi motibus artificio, cuncta nobilitat! Ubi corpora veſtit, nil abſolutius in plicaturis, inque concinnitate conſpicias. Ubi vultus pingit, artem natura confundit, ut vix diſcrimen invenias. Ubi Architectus ſtriatas opere Corinthio rotundas Jonico diſtinguit ſerie columnas, Vitruvium credas. Tanta porrò magnificentia, lautiſſimis refertum dapibus nuptiale

convivium instruxit, ut vel Apicio nil ultra optandum restaret. In quo equidem (qua in re & Varotarium emendatiorem desideres) lauta nimis artis majestate peccavit. Quis enim mensæ, cui temperantiæ Magister assedit, qui eam homines non verbis tantùm, ast exemplis erudiebat, tot illata fercula, tanto apparatu, tanto sumptu sibi unquam suadeat? Quis regiam domum, regias porticus, regia omnia pauperibus, quales consanguinei Christi erant, convenire arbitretur? Quis tam divitem gemmarum torquem sponsæ, unionibus, lapillisque pretiosis ornatum cyderim Attalico magni æstimandam opere sponso vestem, acu picta pluribus indumenta fuisse vere putet? Quid plura? Omnia Varotarii æmulus Vicentinus arbitratu suo finxit, nil antiquius habens, quàm pompa cum illo certare, ne videlicet si minus splendidè pinxisset, eo inferior videretur. Cæterùm uterque sanè summa elegantia miraque varietate Cananæas Nuptias pinxit; ita ut si optio daretur, uter ex illis in iis pingendis primas tulerit, decernere difficillimum esset; adeo ambo pingendi peritia pares noscuntur.

Quæ ad explicationem historicam faciunt, supra recensuimus, cùm idem nuptiale convivium à Varotario depictum declaravimus. In utroque profectò plurima sunt e quibus picturæ studiosi præcipua quibus erudiantur, perdiscant. Quidquid enim ars unquam præstare potest, in iis congestum deprehendere licet. Tot enim re suppeditant præcepta, ut si quis hæc opera picturæ gymnasia diceret, a vero parum aut nihil aberraret. Et quidem mens est, haud aliter censendum esse ab iis, qui cultu illi arti addicti, insignium Pictorum opera, debita veneratione suspiciunt.

Quem hic spectator ordinem partium inter sese non invenit? Quas vultuum venustas argutias, quas extremorum delectas, insculpatasque finitiones ob oculos positas non habet? Quæ figurarum miro quodam artis dolo facta compendia, quæ oblectante artificio contracta corpora, plura quàm exprimunt significantia non cernit? Utinam Pictor tanta picturæ decora passim usurpatis à recentibus pictoribus figmentis non corrupisset? Planè perfectius nihil optari posset. Verùm cùm tot a rei veritate absona finxerit, sibi nimis licuisse putavit. Quis enim paulo cordatior non increpet audentem inanium simulacra Numinum in fastigio pictarum porticuum ponere, cùm à nulla re magis Hebræi abborruerint, quàm a formandis lapide, ligno, ære, vel alia re, Superis? Deum ex legis Divinæ præscripto mente solùm adorabant, omni aliorum Numinum cultu proscripto. Non benè igitur ea futilium Deorum signa & convivium Christi præsentia honestatum conviveque Hebraicis dogmatibus imbuti conveniunt. Venia tamen aliqua danda est Artifici, qui pulchrum non verum consectatus, pingendi peritissimum se se præbere tantùm in animo habuit.

CHRISTVS IN ÆDIBVS PHARISÆI.

Paulus Calliarius Veronensis pinxit Veronæ.

CHRISTUS IN AEDIBUS PHARISAEI.

OPUS PAULI CALIARII VERONENSIS, IN MONASTERIO, VERONÆ.

NEc columnas, nec arcus, nec periſtylia, nec ſtatuas, nec illam ædificiorum majeſtatem, nec tantam adſtantium multitudinem, ad hujus ſanctæ hiſtoriæ veracem delineationem pertinere ullus credat; Ad ſuæ artis oſtentationem inſignis pictor Paulus Calliarius omnia direxit, ut ſua architectonicę peritia, præter elegantiſſimam Perſonarum diſpoſitionem, ſingulari methodo ac jucunditate inſpicientibus eluceſceret. Hic mos fere ſemper illi fuit, ut in ſuis operibus decus, pulchritudinem, elegantiam, non autem veritatem quæreret. Ritus & conſuetudines veteres ignorans, ex ingenio luxuriante cuncta fingebat; eò collimans ut pompæ mirifica varietate ſpectantium oculos & animos ſtupore, admirationeque afficeret. Quis enim ſibi perſuaderet, Simonem Leproſum, Phariſæum alibi dictum, in tam amplo imò regio palatio habitaſſe? Incertum quidem, an nomine an morbo leproſus nuncupatus fuerit: Certum eſt porrò, leproſos extra civitates ab hominum conſortio ſecundum legem Moſaicam ablegatos, & ad ſpeluncas, ſilvas, ac deſerta loca tranſmigrare coactos. Utcunque res ſit, Chriſti ingreſſus in Phariſæi domum hìc oſtenditur. Simon Bethaniæ habitabat, amicus Lazari ad quem Jericonte veniens Chriſtus divertit; cujus mentio fit in Evangelio Lucæ, *cap.* vii. *Rogabat autem quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo: Et ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit.*

De Phariſæis juvat nonnihil dicere. Sectam faciebant apud Hebræos, longè diverſam a Sadducæis & Eſſæis, quam abſtractam & à cæteris ſeparatam ob veſtium morumque varietatem ſeveriſſimè obſervabant; nonnullis præterea adjectis, ad majus ut opinabantur meritum, incommodis. Hinc ſuperbiſſimi audiebant, pervicaces & obſtinatiſſimi, ſeque ſupra cæteros alios inani extollentes oſtentatione, turgidoque faſtu. Præ ſe namque omnes alios ſuſque deque habebant, ſe probos & innoxios, alios omnes improbos ſuperbè arbitrati. Exemplo eſſe poteſt arrogans ille & jactabundus, qui humili publicano ſuperbè ſe anteferens, ajebat: *Non Sum ſicut cæteri hominum*: Solum ſe pium, divinæque legis cultorem ſedulum, cæteros omnes iniquos prædicabat. Hinc Chriſto D. N. maximè inviſi, cordis ſimplicitatem ac humilitatem ſupra cœtera diligenti.

Hiſtoriam in tabella depictam paucis explicabimus. Stratæ videntur duæ menſæ, ſedentibus convivis: Quis neſcit illos tunc temporis accubuiſſe, non ſediſſe? fortaſſis ipſe Pictor. Mos tamen fuit Ægyptiorum, Græcorum, Hebræorum,

ac Romanorum, etsi à cæteris gentibus non in totum receptus. Gratè memini percurrentem me doctissimi Lambecii BIBLIOTHECAM CÆSAREAM, obsèrvàsse stibadii semicircularis seu triclinii diagramma, in quo cernuntur loca Convivis accumbentibus dicata, in suprema Christi Domini cœna. Censet ille quod verisimile est, præcipuum Simonis convivam Christum, primum in cornu sinistro decubuisse, honoratiori loco; Sed hæc nihil ad nos, quia nihil ad hancce tabellam.

Nullæ ibi cernuntur fœminæ præter unam puerum gestantem, & opinor ministrantem; alteramque quidpiam in perizonio excipientem. Fortè noverit Pictor, id in more Judæorum positum esse, præcedentibus Pascha diebus, conviviis amicos excipere & excipi, mulieribus tunc planè interdictis, nisi ob ministerium. Non taceamus miram ornamentorum capitis diversitatem; ibi enim mitræ, cuculli, Cydares, turbantes, ut cum barbaris loquar, pilei, variique generis galeri suspiciuntur, solo Christo divina quidem forma, & radiis circum caput ornato. Tanta in eo eluceścit sanctitas, ut arguentes cæteros, cavillantes, & sophismata proponentes reprehendentem ac docentem facilè quispiam dixerit, quos ex vestium amplitudine & opulentia, Sacerdotum primores fuisse non levis est conjectura. Inter hos sedebat ipse suscitatus Lazarus, quem vix inter cæteros Hebræos cognoscere licet. Quàm libenter in aliquo conviva perciperem summam illam lætitiam in Lazaro desideratam, dum Christo assidens, cum illo familiariter colloquens & cænans, suum admiratur Messiam, à Patriarchis figuratum, à Prophetis prædictum, ab Angelis anunciatum, non nisi ad miracula & generis humani salutem natum, cui terra, venti, mare, & mors ipsa obsequebantur.

A sinistra & extrema tabellæ parte, Senatorem Venetum, in libro legentem, toga, stolaque conspicuum, opinamur esse tabellæ datorem, cujus nomen assequi potis non fui. Pueri ludentes, simia, canes leporarii, nonnisi ornamenti causa, picti sunt, quos sæpè Paulus variis sed elegantissimis modis, hìc & illìc disposuit, sua opera nobilissimis semper inventis locupletans, adeò ingenio ferax, ut quamvis plurima præclari artificii monumenta conspicere pluribus in locis detur; in omnibus tot tantaque illius penicilli varia miracula deprehenduntur, ut ea considerantibus ingentem admirationem afferant, eosque ad provehendum summis laudibus Paulum compellant.

MAGDALENA

N Cochin del. et sc.

MAGDALENA PŒNITENS AD PEDES CHRISTI.

Opus Pauli Calliarij, Parisijs.

MAGDALENA POENITENS,

CHRISTI PEDES LAVANS, UNGENS, ET CAPILLIS ABSTERGENS.

OPUS PAULI CALLIARII, EXTAT PARISIIS, IN THESAURO REGIS CHRISTIANISSIMI.

I unquam Deum in fontes miſericordem admirari debita veneratione licuit, cùm Magdalenæ pepercit, æquiùs id facere decet. Neminem profectò qui vel parum noſtræ religionis monumenta calleat, qualis Magdalena fuerit præterire arbitror, Peccatrix vocatur in Evangelio, antequam eam criminum pæniteret. Quid ſibi Peccatricis nomen velit, non omnibus eadem mens eſt. Alii ut Magdalenæ honori conſulant, eam ſic dictam arbitrantur quia exquiſito nimis uſa cultu, peccandi anſam aliis præbebat. Alii ab hac ſententia recedentes eo nuncupatam vocabulo exiſtimant, quia minus caſtè viveret. Utra veritati magis conſona ſit opinio, judicent illi quorum munus eſt divina interpretari monumenta, quique ſanctorum Patrum, probatiorumque Interpretum ductu ſacra penitus veſtigare cupiunt: Mihi namque ſcire ſufficit peccatricem vocari, curioſa nimis indagine, pluraque ſciendi cupiditate coercita.

Sivit fortaſſe Deus, ut peccatorum ſordibus ſe Magdalena inquinaret, quò clariùs in ea inde erigenda & gratiæ decore venuſtanda, ſuæ miſericordiæ vim oſtenderet: Sicut enim quò pertinacior curatuque difficilior eſt morbus, eò major & validior Medici eum depellentis virtus oſtenditur; ita dum Chriſtus Magdalenam ad reſipiſcendum pœnitentia revocavit, ſuæ miſericordiæ potentiam nobis patefacere voluit. Qua quidem in re Magdalenæ honorem minuere non eſt animus, cùm veriùs inde majus illi decus addatur. Etenim quo promptiùs è vitæ fæditate ſe proripuit, major inde laus ei obvenit. Quanta autem Magdalenæ virtus fuerit, dum palam in Phariſæi nimirum domo, in quam pia impudentia, criminum veniam impetratura irrupit, noxarum eam pœnituit, ſi quiſquam attentè perpendat, facilè deprehendet. Res geſta proinde ob oculos ponatur.

Poſtquam igitur Magdalenæ innotuit, Servatorem noſtrum Phariſæi qui eum invitaverat, intereſſe convivio, conſcientiæ non famæ ratione habita, ut ſibi æternùm conſuleret, dicacium ſarcaſmis contemptis illum adire ſtatuit. Id factura, vaſculum unguentarium ex alabaſtrite ſecum attulit, eo pedes Chriſti perfuſura. Qua in re advertendum eſt, Judæis, Arabibus, Perſis, Syriſque id more poſitum fuiſſe, unguentis ad lautitiam in menſis præſertim uti: Magdalena ergo pretioſo unguento ex Nardo Chriſti pedes unxit, in quo Phariſæi qui in neglexerat ruſticam inurbanitatem nobiliter correxit. Dum illa pium hujuſmodi

munus obiret, mente ſecum patratas noxas voluens, dolore acta ubertim adeo lacrymas fudit, ut Chriſti in convivali thoro accumbentis pedes velut aqua lavarit, quos etiam capillis non amplius ut antea calamiſtro intortis, nec gemmis auroque conſtrictis, ſed liberè fuſis exterſit: Qui autem id fieri potuerit, difficile haud eſt oſtendere. Chriſtus enim non calceis qui pedem totum tegant, qui Græcè vocantur ὑποδήματα, ſcilicet ſubligacula, quia olim ſuperne ligaculis ſtringebantur; ſed ſoleis quæ pedis plantam ſupernoſque digitos duntaxat muniunt, & ea convivium adituris in triclinii veſtibulo vel ad thori pedes ſeponebantur, uti ſemper conſuevit. Fieri autem potuit ut ex itinere forſitan pulverulentos exteriùs ex lectulo porrectos lacrymis abluerit, quod etiam clariùs liquet ex objurgatione qua Chriſtus Phariſæum increpavit, quòd pedes ei non laverit, nec oſculum ex more obtulerit. Sic Magdalena feliciter reſipiſcens, piis obſequiis criminum veniam a Chriſto impetravit.

Eam ad Chriſti pedes abjectam ſic vividè Paulus expreſſit, ut nihil ſupra deſiderari poſſit. Utinam pictor ille parcior in ſua oſtentanda peritia, tantaque pompæ varietate ornanda, cuncta hiſtoriæ propiùs conſentanea pinxiſſet. Sanè nihil venuſtius, nihil mirabilius inter ejus opera quæ ſunt artis miracula nanciſci quis poſſet. Cujus honorificentiſsima mentio facta eſt in libello tabellarum Venetarum LE MINERE DELLA PITTURA. Angeli duo in media tabella quaſi ludentes lorum tenent, cui inſcriptum eſt illud D. Lucæ, *cap.* 15. GAUDIUM EST IN COELO SUPER UNO PECCATORE POENITENTIAM AGENTE: Celebrando ſcilicet ſplendidiſsimo tabellæ myſterio, cujus Evangeliſtæ ſinguli verba fecerunt, ne ejus famæ aut confirmationi quidquam deeſſet.

Lepidam Pauli cogitationem referre placet. Præter ſanctas illas perſonas hiſtoriæ deſcribendæ neceſſarias, Chriſtum intelligo S. N. Magdalenam, miniſtrantem Martham, Joannem, Petrum ex alterius menſæ capite quid ageretur attentè conſpicientem, ipſumque Judam ei vicinum, ſtantem & ex marſupio zonæ alligato conſpicuum, unguenti pretioſi impenſas quaſi deplorantem, cœteros adſtantes pinxit amicos ſuos pictores celeberrimos, quos ex aliarum iconum ſimilitudine, quales fuerint conjicere difficile mihi non fuit: Ipſe Paulus ſe ipſum expreſſit thorace cœruleo indutum, ſibique vicinum Carolum filiolum, a Venetis pictoribus *il Carletto* nominatum, Jacobum Palma, Titianum Vecellium, Joannem a Ponte Baſſanenſem nuncupatum, Joannem Bapt. Magonza, vulgò dictum *Magagno*, Leonardum Corona, & in alia menſa Jacobum Robuſti *Tintoretto*, veſte Veneta indutum, hanc enim continuò ferre delectabatur: Audivi obeſos cæteros convivas, Monachos ex amicis fuiſſe ad vivum depictos.

Illud præterea memorandum venit, Patres Servitas Venetos pretioſæ hujus tabellæ dominos de eadem venundanda cogitaſſe, pretiumque cum Regis Chriſtianiſſimi miniſtris pepigiſſe: At oculata Ser. Reipublicæ mens, nec ſuam metropolim eximiis operibus privari volens, nec Monachis liberum eſſe monaſteriorum gemmas pretioſamque ſupellectilem diſtrahere, tabellam ad ſe deferri curavit, quam Chriſtianiſsimo Regi magnificentiſsimè donavit: Sic Regio deſiderio mentique publicæ egregiè conſultum eſt.

DIVINUM

DIVINVM MISERICORDIÆ MONVMENTVM,
in Adulteræ liberatione,
a Car. Calliario, Pauli filio, delineatum.

DIVINUM MISERICORDIAE MONUMENTUM,

IN ADULTERÆ LIBERATIONE,

A CAROLO CALLIARIO, PAULI FILIO, DELINEATUM.

Liceat pictis tabellis adjungere embrionem fætum nusquam ad maturitatem deductum : Sic juvat graphida seu delineationem nuncupare à Carolo Calliario Pauli Veronensis filio factam, ut amicitiæ tesseram a Viro bono mihi donaram. Me puderet vidisse, magis recepisse Adulteram : Sed verecundiam sanctificat Christus, cujus divina planè facies, nitidissimi Solis ad instar, tenuissimas quasque depellit umbras, noxias nubes eliminat, & cuncta cælestibus flammis accendit : Quin imò divina quadam metamorphosi, noctem ipsam vertit in diem, faciens de peccatoribus justos, & vocans publicanos ad pœnitentiam.

Quid non egit, quid intentatum reliquit insidiosa Scribarum & Pharisæorum impietas, ut Jesum innocentiæ & sanctitatis exemplar, aliquo accusationis fuco divina ejus facta mirantibus, debitaque colentibus veneratione, ceu impostorem malignè obtruderet ? Secesserat Redemptor noster in montem Oliveti, & ardentissimo illo, quo semper æstuabat amore, populos in cælestium rerum scientia erudiebat : Ex Joanne, cap. 8. *Jesus autem perrexit in montem Oliveti, & diluculo venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos* : Sed quid, à sanctissimis Incarnati Verbi alloquiis edidicere Scribæ & Pharisæi ? Quem fructum percepere à sancta illius doctrina, humanitatis & clementiæ plena ? Odia & insidias. *Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei : Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio : In lege autem mandavit nobis Moyses, hujusmodi lapidare.* O malesanam Judæorum calliditatem ! O zelum planè diabolicum ! Cur ista censeremus à Pharisæis facta ? an in honorem Dei, & legis observantiam ? Quis credat ? *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum.* Ecce mens Scribarum sanctissima, en finis eorum honestissimus : Calumnia Servatori nostro inurenda, Jesus de medio tollendus. Verùm quid aget ad hæc mitissimus Agnus ? Quid respondebit ? *Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra, deinde in alios conversus dixit eis : Qui sine peccato est vestrùm primus, in illam lapidem mittat.* O factum planè divinum ! O responsum Deo scrutatore cordium dignissimum ! Injurias sibi illatas, & accusatæ mulieris scelera describit in pulvere, ut citiùs illorum immemor redderetur, cùm primum ventis agitata evanescerent.

Ad hæc Scribæ ſceleſtiſſimi, tentata fruſtra in Jeſum fraude, *unus poſt unum exibat, incipientes a Senioribus*. Noverant enim ſe eſſe lapidibus dignos, quos in adductam fœminam fraudulenter paraverant, nocentiores fortaſſe ipſa adultera, quæ benigniſſimum planè nacta judicium, meruit impunè abire, & pro ſententia à Chriſto audire: *Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? Nemo te condemnavit; Nec ego te contemnabo: Vade & jam amplius noli peccare.*

Impensè placet D. Auguſtini meditatio mihi a pio concionatore impertita. Chriſto & Adulterâ optimè referuntur miſericordia & miſeria: Diſceſſerunt accuſatores, quoniam præſtat coram Deo accuſari quàm accuſare. Accuſatorum vanitas ſcripta cognoſcitur Dei digito, Adulteræ crimen ſummo Judici expoſitum miſericordiam excitâſſe videtur, ut quod lege Moſaica morte damnatum erat, legis evangelicæ ſuavitatem apertè demonſtret, ſincera pœnitentia ſolâ peccatores ad æternam ſalutem deducente, quam renitentiâ & obduratione perdidiſſent.

Hiſtoriam hanc egregiè expreſsit Pictor in hoc exemplari, ubi cernitur captiva vultu non minùs ac mente perturbata, maximo pudore ſuffuſa, revinctis manibus mulier, à duobus ni fallor, lictoribus adducta coram Jeſu, præſentibus Scribis & Phariſæis, quorum unus librum legendum parat in judicium Adulteræ, ut juxta legem Moyſis lapidetur, colloquentibus ſimul aliis, qui dolorum & inſidiarum, quas in Chriſtum ſtruxerant, eventum expectant, prompta malignitate, quâ Redemptorem in Adulteram ſententiam ut putabant ex lege laturum, traducerent. Jeſus autem videtur eorum perfidiam exprobrare, & allatas accuſationes contemnere; ita ad mentem Evangeliſtæ effictus, ut edere videatur ſancta illa verba ab illo commemorata.

Scribarum & militum facies tam eximiè delineatæ ſunt, ut ab oculis, ab ore, a corporis geſtibus, facilè ſit diſcernere iniquas eorum cogitationes, & improbam cupiditatem, quantumvis falſis accuſationibus, Servatorem noſtrum interimendi.

Ornant tabellam cætera: Superbiſsimæ columnæ magnificentiſsimos arcus ſuſtinentes, templum fortè referunt, in quo ſæpè docebat Jeſus: Veriſimile enim eſt, ut SS. docent paginæ, in id adductam fuiſſe ab Hebræis Adulteram; verùm magnificæ Pictoris menti quàm rei veritati templi figura adſcribatur.

Fruſtra quæreretur hæc tabella, cùm ſtatim a delineatione, tanti Operis perfectionem Atropos fortè metuens, inſignis Pictoris vitam præcociter abruperit. Ex ea judicium ferre quiſque poteſt, quantus Pauli filius evaſurus fuiſſet, ſi vitæ diutius ſuperſtes, Parentem æquare primùm ac imitari & tandem ſuperare potuiſſet. Verùm cùm fata ejus virtutem Orbi vix oſtenderint, nec ultra eſſe ſiverint, præclaris ingenii artiſque monumentis pluribus, picturæ amantes locupletare nequivit.

PILATVS MANVS SVAS LAVANS, ET IN IVDICANDO CHRISTO NVTANS.

Opus Iac. Robusti dicti il Tintoretto,
Venetijs, in S. Rochi schola.

PILATUS MANUS SUAS LAVANS,
ET IN JUDICANDO CHRISTO NUTANS.

OPUS JAC. ROBUSTI, DICTI *IL TINTORETTO.*

VENETIIS, IN S. ROCHI SCHOLA.

CHristiani moris est, quo equidem nil præstantius nilque reipublicæ utilius, scholas instituere ad inculcanda Sanctæ Religionis mysteria, sublevandos pauperes, collocandas in matrimonium puellas, celebrandaque alia pia exercitia. Ampliſſimus est illarum Venetiis numerus, quarum quæ Divo Rocho sacra nominatur, celeberrimis picturis ornata est. Ferunt Jacobum Robusti *Tintoretto* dictum, quòd tinctoris civis Veneti filius fuerit, postpositis Titiano & Paulo Calliario Veronense (quanta nomina) illi pingendæ electum fuisse, & centum Ducatorum pensione annua, toto vitæ decursu, præter operum solutionem, compensatum: Hac arte Sacellum omnibus numeris absolutum est. Hinc Christi Servatoris nostri Passio conspicitur tantæ pulchritudinis, ut ab Augustino Caraccio ære incidi meruerit. Illinc tabella clamare videtur ECCE HOMO. Altera crucem ad Calvarium bajulantem Christum exprimit: Hæc nostra Pilatum lavantem manus, coram Innocente, quem nec liberare, sive à Judæis sibi timens, sive illis gratificaturus, sive intentatam Cæsaris iram metuens, nec condemnare, justitia facinoris immanitatem exprobrante, sustinebat.

Luctuosum planè spectaculum refert hæc tabella in qua cælestis æquissimus Judex, ab homine iniquissimo judicandus, innocentia ab impietate plectenda proponitur. Horret animus meminisse.

Curaverat inaudita Judæorum barbaries, divini sanguinis sitibunda, post captum à temeraria cohorte Judæ proditoris insidiis Jesum, insolitâque audaciâ, horrendis probris, atque infando contemptu devinctum, ut ille ad Pontifices suos Annam & Caipham adductus, falsis accusationibus, ac testibus improbis, mortis supplicio per nefas insolitum traderetur; à quibus variis ignominiis contumeliisque vexatus dimittitur, dicentibus: *Nobis non licet interficere quemquam.* Volebant enim illum à Pilato tanquam ab extero Judice condemnari. Ipsos fortasse adeò nefarium scelus apertè perpetrare pudebat; & quod clam enixè cupiebant, palam admittere, ne se populo tam audacter, malignèque iniquos proderent, recusabant, satius è re sua callidè arbitrati, Pilato rem totam committere, ut si secus ac optabant, accidisset, in ipsum totam culpam regererent. *O impia & stulta cæcitas*, sunt verba D. Augustini, *habitaculo contaminarentur alieno, & non*

contaminarentur ſcelere proprio. Alienigenæ Judicis prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis ſanguinem effundere non timebant.

Ducitur ergo innocentiſſimus Agnus, manibus fune revinctis, ad Pilati tribunal, nefaria lictorum caterva ſtipatus; Sed Judex detectâ accuſationum fallaciâ, Captivique innocentiâ approbatâ, voluit illum Judæis remittere; *Cùm nullam reperiret in eo cauſam*; à quibus denuò ad barbarum judicium unanimi voce ſtimulatus, ac minis territus. Quòd ſi Jeſum impunè dimitteret, *non eſſet amicus Cæſaris*, eorum pluſquam ferinæ crudelitati tradidit, poſtpoſitumque Barrabæ ſceleſtiſſimo, in cujus pectore, quidquid unquam terra ſceleris aluit, congeſtum erat, ignominioſiſſimo crucis ſupplicio damnavit.

Sed antequam mortem Innocenti pro tribunali ſedens enunciaret; voluit aqua manus abſtergere, perinde ac ſi publico hoc teſtimonio, ab iniquiſſima quam laturus erat ſententia, ſe eximeret. Crudeliſſime Judex! Fallaciſſime Hypocrita! Crediſne aqua horrendi Deicidii piaculum deleri? Putas ne dexteram lavari Innocentis ſanguine temeratam? Ad inauditas ſcelerum tuorum ſordes expiandas vix bene ſufficeret æternus ille ignis, à quo perpetuò torqueberis.

Hiſtoriam hanc planè ad amuſſim exhibet intuendam præſens tabella. Cernitur enim Redemptor noſter, ore tacito, ſubmiſſis oculis, prona fronte, ligatis manibus, fune à milite detentus, candida veſte, juxta Evang. Lucam c. 23. *Et illuſit indutum veſte alba*. Mirabili humilitatis exemplo, ſtans coram Pilato ſedente, & aqua ſibi à miniſtro porrecta manus abluente, oculis in ſcribentem deorſum converſis, retro quem ingens homo columnæ innixus, & Pilatum intuens Fortè Phariſæus, callidè proſpiciens ne quid Judæorum deſiderio deeſſet.

Pone Jeſum, adſtat inſontis ſanguinis avida tumultuaria Sacerdotum & militum cohors, haſtis armata, & elato vexillo ſuperbiens, quaſi victrix inſigni præda & ſpoliis ab hoſte relatis onuſta, de Innocentis iniquiſſima morte triumphans. Sed ò maleſanum triumphum! O victoriam in feliciſsimam! ſe ipſos impii Deum internecando occidere, ſibique & poſteris mortem cum innumeris ærumnis intulere, cùm Servatori noſtro necem inaudita feritate inflinxerint. Veritate ipſa aſſerente; *Sanguis iſte deſcendet ſuper vos & ſuper filios veſtros*.

Tabella prætorium refert, ad quod per ingens atrium patet aditus, marmoreis ſeu porphireticis ornatum columnis ordine Corinthiaco: In vertice pulcherrimum cernitur pegma, è quo duo Iſacides rei exitum expectare videntur.

Hujus tabellæ memoriam honorificam refert Rodolfus *in vitis pictorum*, parte 2. Ut Chriſtus ſuæ divinitatis plenum depinxiſſe videatur Tintorettus, ſumma gratia ſummaque pietate conſpicuum.

IOSEPH AB ARIMATHÆA,

INVOLVIT CORPVS CHRISTI IN SINDONE MVNDA.

Jacobus, a Ponte Bassanus, pinxit Patavij, in ædibus S. Mariæ in Vanlio.

N. Cochin Delin. et Sculp.

82.6

JOSEPH AB ARIMATHAEA
INVOLVIT CORPUS CHRISTI IN SINDONE MUNDA.

Versus improvisus

JACOBUS A PONTE BASSANUS PINXIT PATAVII, IN SS. ÆDIBUS S. MARIÆ IN VANTIO.

INter ſacra monumenta nullum quod validius ad pietatem corda hominum excitet, excogitari poteſt, quàm illud quod Jacobus a Ponte, a patria *Baſſanus* dictus, conſummata diligentia, in hac tabella pinxit. Quis a lacrymis temperet, Servatoris, qui pro nobis diram mortem ſubiit, ſedulò in nos amorem conſiderans? Quis Joſephi ac Nicodemi pia in curando Chriſti funere officia perpendens, meritis non cumulet laudibus hominum probitatem, ab Judaico odio, quo in Chriſtum crudelitate immani, Hebræi ſævierant, adeo alienam, ut nulla Judaicæ invidiæ ratione habita, illi ſuum erga Chriſtum obſequium generoſa magnanimitate teſtatum fecerint? Porro ut eorum pietas luculentiùs patefiat, totam hujus hiſtoriæ ſeriem brevitate haud obſcura recenſere operæ pretium arbitror.

Poſtquam igitur Chriſtus cruci affixus pœnas Adami crimine hominibus debitas morte luit, ne Judæi qui ferina quadam crudelitate inſontem laniarant, cadaveri procaciùs inſultare pergerent, Joſeph quidam nobilis ab Arimathæa, urbe ſita in regione Samnitica juxta Dioſpolim oriundus, inter Hieroſolymitanos divitiis ac nobilitate illuſtris, Chriſtum honorificè ſepelire ſtatuit. Ad Pilatum igitur, qui Tiberii nomine Judææ præerat, accedens, omnem Judæorum invidiam odiumque ſuſque deque habens, corpus Jeſu ſepeliendum petiit. Magna profectò animi fortitudo! ingens obſequii, ſincerique cultus fervor! Quem cæteri morte certatim affecerant, Joſeph a furentis rabidæque turbæ dira feritate alienus, cùm a ſævientium eripere manibus viventem haud valuiſſet, mortuum funere honeſtare, proprioque quod ſibi paraverat ſepulcro, condere voluit. Præſes igitur vel Joſephi hoc flagitantis autoritati annuens, vel ut hac ratione juſtitiæ quam ſciens volenſque Judæorum obſecutus odio violaverat, ſatisfaceret, Chriſti cadaver Joſepho tradi juſſit.

Illud probus Vir linteo ex gentis more involvit, myrrha & aloe quas Nicodemus Joſepho pietate in Chriſtum haud cedens attulerat, liberaliter perfuſum. Conſuetudo namque apud Judæos, quam acceperant ab Ægyptiis cùm eorum incolebant regionem, antequam eos Moſes in libertatem aſſereret, invaluerat, ut defunctorum corpora aromatibus illinerent, quò a putrefactione ſervarentur illæſa. Hæc tamen divites tantùm, quibus in loculis erant opes,

quas in funus ea ratione curandum impenderent, præstitisse persuasum est. His quoque nostris temporibus nonnisi Magnatum ac eorum quos paupertas haudquaquam premit, cadavera condiri sic solent; invita temporis putredinisq; edacitate, perdiu a corruptione immunia permansura. Corpus igitur Christi tam honorificè Joseph marmoreo monumento condidit, cultus quo venerabatur Servatorem, specimen generosè sic exhibens.

Hanc piam historiam Bassanus, plurimis pictis tabellis famam sibi perennem adeptus, hìc Patavii in Æde S. Mariæ vulgò dictæ *de Vantio* elegantissimè pinxit, cunctaque ad eam pertinentia sic ad vivum expressit, ut spectator nescius hæreat, an Pictoris delectam artem prius miretur, an casum ob oculos tam lacrymabiliter positum defleat, an Josephi Nicodemique pietatem, an Mulierum, Joannisque amorem commendet. Virgo Deipara deliquium animi passa, insontis filii acerbissima morte, ore pallida, spiritu deficiente, animam efflare videtur, ingentem dolorem quo premebatur, palam ostendens. Maria Magdalena gratum erga beneficum Servatorem animum testatura, vasculum manu tenet, pretiosis refertum unguentis, quibus virorum imitata pietatem, Christum ungeret, obsequiumque quod vivo in Pharisæi æde detulerat, mortuo quoque in fide & amore constans exhiberet. Adstant & aliæ duæ mulieres, quæ cum Magdalena Christo semper hæserant nunquamque ab eo desciverant, ut Apostoli qui fere omnes animis fracti ac formidine perculsi, sese in latebras ne ut Christi discipuli deprehenderentur, abdiderant: Eæ igitur Christo illacrymantes, præ mærore tabescere prope videntur. Quænam illæ fuerint, è sacris Evangeliorum Scriptoribus manifestum est. Altera ex illis est Mariæ Cleophæ filia, & Alphæi uxor: vel ut quibusdam placèt Cleophæ, qui ex eorum sententia & Alphæus dicitur conjux. Altera est Mater filiorum Zebedæi, Jacobi nimirum & Joannis Apostolorum, nomine Salome. Adest & Joannes antonomasticõs *Dilectus* inter discipulos appellatus; quia fideli obsequio, intemerata virginitate, morumque purissima innocentia, reliquis condiscipulis præcellens, Christo inter primos gratus erat.

In Josephi vultu scitus Bassanus venerabilem suam canitiem ostentare voluit. Elegans siquidem artifex in quibuscunque tabellis sive piis, sive historicis, sive rusticis, se ipsum, uxorem, filiam, canemque domesticum pingere consuevit. Illa mærentem Christi Matrem, hæc alteram è Mariis lacrymantem refert. In recessu, Mons Calvariæ cernitur, ubi Christus insons, ut servaret noxios mortem cruci affixus obiit: Conspicuus ille fit tribus crucibus in quarum duabus furciferi duo latrones pœnas meritis dignas dederunt. Reliqua, forcipes videlicet, funes, flagella, malleus, tormenta, quibus Judaica crudelitas Christum cruciavit, palam indicant. Quæ ad ampliorem tabellæ commendationem facerent, libens missa facio, ne aliunde pretium illi conciliare videar, quod ipsi elegantia, celebrisque Artificis virtus & fama satis superque conferunt.

TRIVMPHVS CRVCIS AB ANGELIS IN CŒLOS DEPORTATÆ,
MVLTIS SANCTIS CHRISTVM PASSVM ADORANTIBVS.
Hannibal Caraccius, Pinxit Mutinæ.

N. Cochin, Delin. et Sculp.

TRIUMPHUS CRUCIS

AB ANGELIS IN COELOS DEPORTATÆ MULTIS SANCTIS CHRISTUM PASSUM ADORANTIBUS.

PINXIT HANNIBAL CARACCIUS, MUTINAE.

QUamquam rerum varietas plurimùm oblectet, cùm nihilominus quid ſemel magnopere placet, repetiti aſpectus tædium excludit. Quod viſum ſpeciei venuſtate recreat, pluries videre juvat: Animus quoque mirifica voluptate afficitur, ſi quod ſemel arriſit, ſeſe contemplandum iterum iterumque objiciat. Quæ ſimulac ſeſe conſpicienda obtulerunt, feſtine tranſeunt, ſiquid pulcrum amabileque ſecum afferant, obtutum in illa defigere cupientium deſideria feſtinatione illudunt. Propterea cùm mihi ſatis ideo perſuaſum ſit pietati haud ingratum fore, ſi Chriſtum mortuum iterum adorandum proponam, eandem ſacram hiſtoriam ab Hannibale Caraccio Bononienſe Mutinæ pictam exhibere ſtatui. Qua in re & varietatem optantibus ſatisfiet, dum illam à ~~Caraccio~~ aliter ac à Baſſano expreſſam deprehendet. Hic namque hiſtoricam veritatem ſectari conatus eſt, ille neglexit. Caraccius in id unum incubuit, ut artis peritiam tantùm oſtenderet, plura à rei veritate aliena æqua Pictoribus conceſſa fingendi poteſtate commentus: Baſſanus & pingendi peritum hiſtoriæque haud ignarum ſe prodidit. Ille genio indulgens abſonas à re geſta circumſtantias appoſuit, chronologiæque rationem haudquaquam habens, Divum Franciſcum Aſſiſiatem Minorum Fratrum inſtitutorem, Divamque Claram Chriſtum adorantes induxit. Hic nihil appoſuit, quod ut vero parum conſentaneum quis explodat.

Chriſtus igitur mortuus, lapſo in pectus capite horrentibus transfixo vepribus, qui acuminatis cuſpidibus illud immaniter terebrarunt, lapidi quaſi ſedens impoſitus eſt, in vicino ſepulcro, quod ſibi Joſephus extruendum curaverat, condendus. Conſpicitur Sanctiſſima Virgo ingenti dolore oppreſſa, colore totius oris extincto, pallentibuſque ideo genis, pronis velut in mortem oculis, ac cervice defluente, exanimi veriùs quàm viventi ſimilis planeque corruens, ni animo præ acerbo mærore deficienti, corporique lethali quaſi frigore tentato Angeli ſuppetias ferant. Et quidem maternus ſanctæ Genitricis in divinum Filium amor dolore auctus ad vivum aptiùs exprimi non poteſt. Intuentium idcirco animi vel inviti aſpectu tam lacrymabili ad piam compelluntur mæſtitiam. In quo equidem Pictor artis vim adeo peritè patefecit, ut in animi pathematibus ob oculos ponendis, reliquis Pictoribus palmam præripere videatur. Nec diverſus

a Virgine Joannes, qui ſupra cæteros diſcipulos amore in Chriſtum exardeſcens reciprocoque ab eo dilectus affectu, Deiparæ Virginis mærorem ſi non æquat ſaltem propriùs conſequitur. Magdalena quoque unguentario vaſe conſpicua, ſparſis capillis, eorumque neglecto cultu, latentem dolorem pandens, Chriſtum demiſſa veneratione adorat.

Placuit Pictori vel iis qui tabellam pingendam curarunt, ut præcipuum erga tales Sanctos obſequium demonſtrarent, Divum Franciſcum, Divamque Claram addere, quamvis à rei geſtæ eventu plurium ſæculorum interjectu tempore valde remotos: duodecimo enim ferme ſæculo a Chriſti obitu vixerunt. Anachroniſmi veniam forſitan artifex pictoria fiducia ſibi pollicitus eſt, quia conſuetudo probro id vertere arti fortaſſe vetat. Uterque luget, miratur, amat, adorat; adeo aptè, ut in utriuſque vultu confuſos affectus diſtinctè quis dignoſcat. Ille cranio ad genua appoſito veſte cænobitica cinerei coloris, facie palleſcente, ad ſanctitatem, qua claruit compoſitus, pietatem vel extimo tantum aſpectu animis inſinuat. Hæc verò ſynchrono Franciſco haud abſimilis hoc uno diſtat quòd veſtimentis monialem decentibus vultu fœmineo, vitreaque pixide qua Chriſti auguſtiſſimum corpus condi ſolet, Diva cultum erga tantum myſterium innuente, internoſcitur.

Superiorem Tabellæ partem plauſu geſtientes plures occupant Angeli, Crucem ſalutis humanæ ſymbolum in cœlum deferentes. Et meritò quidem execratum olim vulgò lignum & ominoſum tanto illi proſequuntur honore; quia Servator illud illuſtri ſuæ ignominiæ ſpectaculo, inter probra tormentaque vileſcens decoravit. Trabs illa iccirco antea tam funeſta & infamis ad tam eximium dignitatis faſtigium Chriſti morte provecta eſt, ut majus decus excogitari non poſſit. Inſignem nunquamque viſam auditamve in illa pendens Chriſtus de morte crimine atque Cacodæmone victoriam triumphumque reportavit. Victor ideo mortalitatis ſuæ ſpolium victrici ex arbore trophæum juſtiſſimum ſtatuens, ingenti Crucis gloria ſuſpendit. E Cruce theſauros omnes cæleſtes ille hominibus largitus eſt, opes ex effracto divinitatis totius ærario liberaliter fundens: Veſtimentorum manubiis milites donans, interfectoribus veniam concedens, latroni ad cœlum ingreſſum promittens, Eccleſiam Sacramentis locupletans, omnes denique uberrima ſupremæ ſalutis hæreditate ad certam ſpem tanti premii conſequendi erigens. Haud perperam igitur Crucis triumphantis glorioſiſſimum titulum tabella præfert, cum è Chriſti per crucem victoria, bona tam ingentia nobis obvenerint, cùm illa tanta nos felicitate cumulaverit.

DESCENSVS SPIRITVS SANCTI SVPER APOSTOLOS ET SANCTAS MVLIERES.
Opus Titiani, Venetijs, in ſacris ædibus Salutis.

DESCENSUS SPIRITUS SANCTI

SUPER APOSTOLOS ET SANCTAS MULIERES.

OPUS TITIANI, VENETIIS, IN SACRIS ÆDIBUS SALUTIS.

ANno M. DC. XXX. quo Reginam provinciarum Italiam, & maximè urbem Hadriatici maris dominatricem Venetias infestabat sævissima pestis, Senatui Veneto placuit, tentato sæpè frustra humano auxilio, divinam opem implorare eique se committere, qua quidquid providentiæ suæ deficeret, si tamen quidpiam illam effugiat, pietate repararetur : Hæc profectò ad omnia utilis. Conceptum inde a mente publica votum, ædes Deiparæ Virgini dicare, gratiarum conciliatrici. Publicæ pietati cessit morbi furor, & confestim acceptum est beneficium. Selectus quamprimùm locus, non procul à palatio Principis, canali magno ut vocant intermedio, in quo magnificentissimum templum voti solutionem adimplevit, dictum LA SALUTE, cum hac inscriptione super altare majus locata :

DEIPARÆ VIRGINI
PUBLICÆ SALUTIS
SACRARIUM
SENATUS VOTUM
OB CIVES EX PESTILENTIA SERVATOS
ANNO M. DC. XXX.

Contractæ brevi sunt undique columnæ marmoreæ, tabellæ pictæ nobilissimæ : Has inter, primas occupat quæ tertium ornat ad lævam Sacellum, in sacris ædibus Sancti Spiritus olim a Titiano picta. Omnem laudum paginam adimpleret hoc nomen, ni præterea inter Titiani opera, hoc planè stupendum ab artis pictoriæ peritis censeretur.

Sacræ docent paginæ humani generis Reparatorem, promissum Discipulis paraclitum Spiritum statim ab Ascensione in cælos, emisisse. Convenerant cum SS. Virgine Apostoli, sesque per decem dierum spatium in montem Sion contulerant, rerum divinarum, & cælestium meditationum exercitiis dediti, promissa Servatoris emeriti munera ferventium animorum votis expectantes : Quibus elapsis, repentino veluti frementis austri sonitu, congregatis in æde, Spiritus evidenter apparuit, igneas supra singulorum capita linguas impertitus.

Ad historiam hanc planè divinam describendam, divinum requirebatur ingenium, divinus penicillus ; Utrumque a Titiano præstitum. Hanc enim ille tam eleganter assecutus est, ut dexteram a Spiritu quem pingebat, ductam esse vix sit dubitandum.

Expreſſit Pictorum princeps in hac tabella, crediderim in triumphum artis ſuæ, pulcherrimum arcum, concameratam dicamus teſtudinem, quadratis ordine Dorico columnis, in ſimilitudinem factum cameræ ſeu ſacelli: Sed quid dicam cameram ſeu Sacellum? Cælum ipſum audeam nuncupare, quod tam inſignium Perſonarum ibi exiſtentium dignitate, celeberrima quæque templa meruerit antecedere: Cælum, inquam, cujus hoſpitii Deus ipſe cernitur amantiſſimus, cùm in hoc tanquam igneus imber è cœlo prodigiosè delabitur. Teſſelatum ac marmoreum cameræ pavimentum, hiſtoricæ veritati, & ſanctæ incolarum paupertati quidquam detrahere videtur, quod artis pictoriæ libertas majeſtaſque compenſavit.

Sedet media inter Apoſtolos Virgo mater, cujus in facie quidquid humana forma, quidquid cæleſtis Sanctitas tribuere poterant, excellenter exprimitur. Ardentis animi fervor, cæteræque heroicæ virtutes, vel pictæ adeo emicant, ut intuentium corda cæleſti amore mirabiliter accendant: Suffuſæ verecundo murice genæ, ſpirantes divinos ignes oculi, compoſitæ ad orandum manus, ſancto fervere ſpiritu credideris pectus, cùm ipſe ferveas intuendo. Nunc verò pulchra ut Luna, electa ut Sol, cujus nitidiſſimum jubar ſidera tam digna & honorificentiſſima geſtiunt redimere.

Sanctiſſimæ Virgini proximè à tergo geminæ Mariæ, Cleophæ & Magdalena, quarum altera oculis & capite inclinatis, altera manibus & fronte elatis: Utraque mirè ad pietatem compoſita; Utraque variis etſi flexibus, Virginem piè venerans, & Spiritum Sanctum adorans.

Reliquam hinc inde tabellam occupant Apoſtoli ſex a dextris, & totidem à ſiniſtris, beatiſſimam Virginem quaſi coronantes, de qua jure merito nunc dici poteſt, quòd *habet coronam ſtellarum duodecim*: Illorum Princeps Petrus extenſis manibus, dextera geminas ſtringente claves, elato capite, flexiſque genibus, venientis Spiritus flammæ ſe credit impatiens: Oppoſitus alter utraque manu juncta ſeſe extollit, divini ſitibundus incendii: Illos ſtupore repentis prodigii correptos viciſſim mirari, iſtos inſolita lætitia affici conſpicis, omnes amore ardentiſſimo conflagrare. Hos quoque vel pictos ſi cernerent Idumæi, jurarent madere muſto, ut olim irridebant, *in Act. Apoſt. c.* 2. tam benè præſtantiſſimus Pictor delapſi Spiritus vehementiam, & æſtuantia Apoſtolorum pectora delineavit.

Spiritus Sanctum hic Autor deſcripſit in formam Columbæ radios ejaculantis, igneaſque linguas in ſingulorum capita diſpertitas ex more pinxit. Sub candida ſimplicis columbæ ſpecie Sanctus exhibetur Spiritus, ad affabilitatem erga ſuos demonſtrandam. Igneæ linguæ, vel animi fervorem quo Apoſtoli ſancto donati Spiritu exardeſcebant, vel linguarum munus, quo cujuſcunque nationis loquebantur idiomate, vel utrumque ſimul innuunt. Seu veriùs, quæ Spiritus ſanctus animis nulla contagione culpæ pollutis, adque cæleſtia tantùm adſpirantibus confert, ſymbolica radiorum Columbæ ignearumque linguarum ſimilitudine oſtenduntur.

Ita planè Pictorum Coriphæus tabellam hanc numeris omnibus abſolutam tradidit, celebratam imprimis à Georgio Vaſario *in vita Titiani*, oſtenditque præclariſſimo ſuo penicillo quod dictum eſt per Prophetam Joel: *Et erit in noviſſimis diebus* (dicit Dominus) *& effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.*

VISIO SANCTI PETRI.

Opus Pauli Calliarij Veronensis.

VISIO SANCTI PETRI.

OPUS PAULI CALLIARII VERONENSIS, PROPE VENETIAS.

ABſtruſum hunc typum decerpſit Paulus Calliarius ex Apoſtolorum actis, *cap.* 10. cujus ſacra verba nulla explicatione indigere videntur; hæc ideò hic tranſcribere liceat.

Vir quidam erat in Cæſarea nomine Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica, religioſus ac timens Deum, cum omni domo ſua, faciens elemoſinas multas plebi, & deprecans Deum ſemper: Is vidit in viſu manifeſtè quaſi hora diei nona, Angelum Dei intuentem ad ſe & dicentem ſibi, Corneli? *at ille intuens eum timore correptus, dixit*, quid eſt Domine? *Dixit autem illi*, Orationes tuæ & elemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei, & nunc mitte viros in Joppem, & accerſi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus; hic hoſpitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus eſt domus circa mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere: *Et cùm diſceſſiſſet Angelus qui loquebatur illi, vocavit duos domeſticos ſuos & militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant. Quibus cùm narraſſet omnia, miſit illos in Joppem. Poſtera autem die, iter illis facientibus & appropinquantibus civitati, aſcendit Petrus in ſuperiora ut oraret, circa horam ſextam, & cùm eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram; in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ & volatilia cœli: Et facta eſt vox ad eum*: Surge Petre, occide & manduca. *Ait autem Petrus*, Abſit, Domine, quia nunquam manducavi commune & immundum: *Et vox iterum ſecundò ad eum*: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. *Hoc autem factum eſt per ter: Et ſtatim receptum eſt vas in cœlum: Et dum intra ſe hæſitabat Petrus, quidnam eſſet viſio quam vidiſſet*; *Ecce Viri qui miſſi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, aſtiterunt ad januam: Et cùm vocaſſent interrogabant*, ſi Simon qui cognominatur Petrus, illic haberet hoſpitium? *Petro autem cogitante de Viſione, dixit ſpiritus ei*: Ecce viri tres quærunt te: Surge itaque deſcende & vade cum eis, nihil dubitans, quia ego miſi illos. *Deſcendens autem Petrus ad viros dixit:* Ecce ego ſum quem quæritis, quæ cauſa eſt propter quam veniſtis? *Qui dixerunt:* Cornelius centurio vir juſtus & timens Deum, & teſtimonium habens ab univerſa gente Judæorum, reſponſum accepit ab Angelo ſancto, accerſire te in domum ſuam & audire verba abs te. *Introducens ergo eos, recepit hoſpitio. Sequenti autem die ſurgens profectus eſt cum illis, & quidam ex fratribus ab Joppe comitati ſunt*

eum. Cornelius verò expectabat illos, convocatis suis & necessariis amicis: Et factum est cùm introisset Petrus obvius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus, adoravit. Petrus verò elevavit eum dicens: Surge, & ego ipse sum homo. *Et loquens cum illis intravit, & invenit multos qui convenerant. Dixit ad illos*: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam, sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem; Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, &c.

Visionem hanc mirabiliter expressit noster Pictor: Cernitur Apostolorum Princeps, laxa veste, quasi qui totus cælestibus intentus cætera non curaret. Ad partem ædium superiorem sæpè divertebant Syri Ægyptiique, excipiendi refrigerii causa, illam ideo alio quàm nostro modo fabricatam fuisse novimus. Tecta enim in Palæstina construebantur plana, ut in iis ambulare, sedere, aura liberiore frui, orareque cùm libebat, possent. Græce Δῶματα, Romæ solaria, vel Mæniana tecta & plana appellabantur non culminata. De iis dixit Salomon Prov. cap. 20. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa in domo communi*. Divus ergo Petrus eò ascendit, à turba domesticoque tumultu secedens, ut liberiùs cælum intuens, illuc oculos & mentem preces fusurus attolleret, omni terrena cogitatione sepositа. Sciebat nimirum Apostolorum Princeps, irritas esse illas preces, quas mens terrenis occupata curis, ore tantum fundit: Deo siquidem cordis anxia vota, non oris inania solùm verba grata esse solent. His aures facilè præbet, qui de illo solùm cogitant, quique supplices ad cælestia solùm aspirant. Sancti ergo Deum oraturi in edita, ubi nil eos à Deo removeret, ascendebant, ut sicut loco, ita mente & corde cælo propinqui essent. Sic factitatum à Moise sacro illo divinæ Legis latore, à Christo æternæ nostræ assertore libertatis, ab Elia, Eliseo, aliisque pluribus quibus præ cælo terra sordebat.

Claves cancellatis columnis impositæ Petrum designant, cui Christus olim hæc verba dixerat, apud Mathæum, cap. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Et tibi dabo claves Regni cælorum: Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. In effingendis animalibus, miro usus est Pictor artificio: Nonnulla ob oculos posuit ad oram lintei, cætera sub linteo latere innuens, Pictorum more qui cùm ingens est hominum multitudo exprimenda, nonnullorum summa capita ostendere, paucorum integra corpora manifestare, omnium fere abscondere, solent.

Elegans hæc tabella visitur in ædibus Nob. Veneti Ægidii Mauroceni, juxta oppidum dictum *Castel Franco*, prope Venetias.

ASSVMPTIO DEIPARÆ VIRGINIS,
PLAVDENTIBVS ANGELIS ET STVPENTIBVS APOSTOLIS,
Picta ab Hannibale Caraccio, Mutinæ.

N. Cochin Delin. et Sculp.

ASSUMPTIO DEIPARAE VIRGINIS,

PLAUDENTIBUS ANGELIS, ET STUPENTIBUS APOSTOLIS,

PICTA AB HANNIBALE CARACCIO, BONONIÆ,

IN TEMPLO D. FRANCISCI.

Lorioſum triumphum, quem de morte Sanctiſſima Virgo in cœlum evecta retulit, hic pictum admiratione cernunt oculi, veneratione ſuſpiciunt animi; Quo profectò inter veneranda Religionis noſtræ ſpectacula nullum illuſtrius. Verùm equidem eſt ex hiſtoriarum monumentis, diſſidentibus nonnullis Auctoribus, non planè liquere cunctas facti circunſtantias: Pietas nihilominus tot ſæculorum, quot a Virginis obitu effluxerunt, perenni auctoritate inconcuſsè ſtatuit Sanctiſſimam Deiparam etiam cum corpore in cœlum ſubvectam.

Pulcherrimum hujuſce rei monumentum habemus in Eutimiaca hiſtoria, ſic recenſente D. Chriſoſtomo. *Cùm Pulcheria & Martianus celeberrimæ ac S. Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ venerandam ædem extruxiſſent, atque omnibus ornamentis illuſtraſſent, Sanctiſſimum ipſius corpus conquirebant; accitoque Juvenali Hieroſolymorum Archiepiſcopo, ac Paleſtinæ Epiſcopis, qui tum ob concilium Calcedone coactum in urbe imperiali peregre agebant, his eos verbis alloquuntur: Hieroſolymis principem & eximiam Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ eccleſiam eſſe audimus, in eo loco qui Gethſemane vocatur, ubi corpus ipſius quod vitam tulit, in loculo conditum eſt: Placet itaque has reliquias huc afferri, ut imperatrici huic urbi præſidio ſint. Excipiens autem hunc ſermonem Juvenalis, hanc orationem habuit. Et ſi quæ in ſanctæ Dei Genitricis morte contigerunt, ſacræ ac divinitus inſpiratæ Scripturæ monimentis minimè prodita ſunt; tamen ex priſca ac veriſſima traditione hoc accepimus, quòd glorioſi ipſius obitus tempore, Sancti omnes & Apoſtoli, qui Gentilium ſalutis cauſa, terrarum orbem peragrabant, temporis puncto per altum abrepti in Hieruſalem convenerunt: Ibique cùm eſſent, Angelica ipſis viſio contigit, divinuſque præſtantiorum virtutum cantus auditus eſt: ſicque cùm divina ac cæleſti gloria in manus Dei animam commendavit, atque arcana quadam ratione, corpus ejus quod Deum ſuſceperat, cum Angelico & Apoſtolico cantu funere elatum apud Gethſemane in loculo conditum eſt. Quo quidem in loco Angeli totos tres dies choros agere atque canere non deſtiterunt. Cùm autem ipſi exactis tribus diebus canendi finem feciſſent, Apoſtoli qui aderant, propterea quòd unus ex ipſis, Thomas nimirum, qui funeri non interfuerat, poſt tertium diem veniens, corpus illud quo Deus ſuſceptus fuerat, adorare cupiebat, tumulum aperuerunt; At ſacratiſſimum quidem illius corpus haudquaquam invenire potuerunt: Cùm autem jacentia tantum ipſius lintea reperiſſent, atque ex iis inenarrabili quadam ſuavitate perfuſi fuiſſent, loculum munierunt: Atque myſterii illius*

admiratione perculſi, hoc ſolum ſecum reputare poterant; quòd Deus, Verbum, ac gloriæ Dominus, qui in ſua hypoſtaſi ex ipſa carnem induere atque humanitatem aſſumere voluerat, incolumemque etiam poſt partum ipſius virginitatem ſervaverat, idem etiam poſt diſceſſum è vita, immaculatum ac ſpurcitiei expers ipſius corpus incorruptibilitate ac translatione ante communem & generalem reſurrectionem honeſtare voluiſſet.

Idem perſuadet communis Eccleſiæ conſenſus, paſſimque jam à primis Apoſtolorum temporibus, Apoſtolorum Religio. Et quamvis aliquando, ut è quorundam Patrum veterum agiographorum ſcriptis colligi poteſt, de hujus rei veritate ſuborta nonnulla dubitatio fuerit; nunc tamen qui eam in dubium revocaret, præterquàm quòd receptæ ubique terrarum opinioni audaciâ prorſus impiâ pervicax adverſaretur, temeritatis non ferendæ notam ſubiret. Plura de his diligentiſſimus Cardinalis Baronius de antiquitate ſacra ſingulariter benemeritus, habet in ſuis *Annotationibus ad Martyrologium Romanum, ad diem XV. Auguſti*. Hunc adeat qui tenuitatis meæ rivulo non contentus, uberiorem eruditionem ſitit. Sat hîc ſit nonnulla eandem veritatem ſuadentia & pium erga Virginem cultum teſtantia adjicere. Hic ſane plura ſuggerit, quæ vel obſtirmatè aliter ſentientes, venerationem Deiparæ convenientiorem docent. Quî enim fieri poſſit, ut in ſacrum ejus corpus Morti jus plenum vindicare ſibi licuerit, ex quo Servator noſter è cœlo profectus, ut homo fieret, homines redempturus ortum trahere voluit? Mortalitatis incommoda eos vexent, quos a primorum Parentum crimine deducta calamitas letho damnat. Congruum ideo fuit ut Sanctiſſima Virgo, quæ ad vitæ lucem autorem vitæ peperit, Mortis in alios omnes corporis corruptione truculenter debacchantis noxia damna neſciret. E vita quidem hac ceſſit ad meliorem tranſitura, ſed Mortis conatus ac inſidias eluſit, dum è ſepulcro formoſior exurgens veluti Phœnix è propriis cineribus revixit, mortem ſic ipſam morte proſternens.

Hanc igitur præclaram victoriam, quam Dei Genitrix Virgo de Morte gloriosè retulit, Annibal Caraccius Bononienſis, inter Pictores operum famâ haud inglorius, adhibitâ totâ artis induſtriâ pinxit Bononiæ, in templo D. Franciſci. Artificis peritiam ſingula in Tabella expreſſa eximiè commendant, in qua adeo cuncta ſuum locum aptè occupant, ut magis appoſitè digeſta nemo deſideret. Nec ſit qui carpat ſepulcri anaglytis ornati magnificentiam, Virginis paupertati parùm conſentaneam; Pictori enim id in animo fuiſſe arbitror, cùm illud effinxit, ut inſignis triumphi pompam magnificum ſepulcrum æquaret: Decens quippe erat, ut omnia reciprocâ magnificentiâ invicem in tabella convenirent, & uſu jam comparatum eſt, ut ſi quædam ad veritatem picta, nimium ab operis perfecta venuſtate deficiant, artificum figmenta ornatu aſcititio lacunam impleant. Quiſquis itaque tabellam inſpicit, Pictori laudem non invideat, quam ei meritò debent omnes qui præclarorum artificum labores ex peritia æſtimant.

Objiciet fortaſſis quiſpiam numerum Apoſtolorum, undecim enim ſolos expoſuit Pictor: alios porro qui ſarcophagum ſacro pignore vacuum ſtupore quodam correpti contuentur: alios verò qui Virginem plaudentium Angelorum agmine ſtipatam, in cœlum comitantur obtutu. At id bene, aberat enim, ut ſupra expoſitum eſt, D. Thomas.

DIVÆ

DIVÆ IVSTINÆ PATAVINÆ MARTYRIVM,
a Paulo Calliario Veronensi depictum.

DIVAE JUSTINAE PATAVINAE MARTYRIUM,

A PAULO CALLIARIO VERONENSI PATAVII DEPICTUM

PAtavium, civitas inclyta ob illuſtres quos genuit viros, Titum Livium celeberrimum Hiſtorię Romanę ſcriptorem, Poetas L. Arontium Stellam, C. Valerium Flaccum, Voluſiumque, & Grammaticum Q. Aſconium Pedianum, multoſque arte militari clariſſimos, edidit: multorum etiam Martyrum Patria fuit, qui variis temporibus, veritatem Sanctæ noſtræ fidei ſuo ſanguine aſſerueruñt. Diva Juſtina, prima virginum eumdem pro Chriſto effundere non dubitavit, ſemen Patavinorum Chriſtianorum. VITALIANUM ejus parentem, tùm ſplendore natalium, tum opibus clarum, præfectum Patavinum autumant, PRÆPEDIGNAM que ejus matrem, proſapia & moribus nobiliſſimam: Ambo à D. Proſdocimo, quem S. Petrus Patavium miſerat, pagano cultu repudiato, Chriſtianam fidem amplexi ſunt, & Juſtinam ediderunt, ſuæ familiæ decus, & ſexus ornamentum. Illam curaverunt educari in timore Dei, quo omnia Religionis axiomata comprehenduntur. Hunc illi tantâ efficaciâ inſinuaverat D. Proſdocimus, rerumque caducarum contemptum, ut poſt obitum Parentum, ſe totam Chriſto ſacraverit.

Nero ſextus Romanorum Imperator, Eccleſiam naſcentem primò perſecutus eſt A. C. LXVI. Chriſtianos criminans Romam incendiſſe, & cum imperii Regina totum orbem vaſtâſſe. Provinciarum præfectos juſsit Chriſtianis quibuſcunque vim inferri, & eos perduelles haberi. Maximinus Vitaliani in prætura Patavina ſucceſſor, ſummam Neronis ſævitiam ingentibus ſuppliciis executus eſt. Juſtina pietati ſemper intenta, opes carcere clauſis ſubminiſtrabat, egenis alimenta, omnibus ſolatium: Frendens Maximinus curavit illam aripi: Effugere quidem potuerat, ſatellitibus è curru ſuo prævisis, ſed aliud diſpoſuerat ſummus rerum moderator: Ad anguſtam pontis Marini viam, è curru ſuo dejecta, atque è ſuorum manibus erepta, ad Maximinum deducta eſt, cujus tribunal in campo martio Patavino, vulgò *Prato della valle* erectum erat.

Egregia Juſtinæ forma raptus Tyrannus, blanditiis primùm ac muneribus ejus pudicitiam debellare tentavit: At illa ſe Chriſtianam profeſſa eſt, quo caſtitatis ſumma continetur; Se Deo ſoli addictam, nullique quàm æterno Sponſo nupturam; Furorem Maximini adauxit reſponſio, ut ſupplicia ſævamque mortem minaretur. Quid ad hæc debilis virgo ſexdecim annorum? Ætatis, ſexuſque viribus ſuperatis, ſe conſtantiſsimè morituram reſpondit, nihilque prælaturam

Chriſto ſuo. *Ne credas, ò Maximine, me nunc ſupplicio territam, quæ tuos ſprevi oblatos honores; unus mihi erit crucifixus noſter Chriſtus, præ quo caduca ſunt omnia: Quid ſapiunt quæ polliceris, dum cœleſtem vitam per ſolam fidem Chriſtianam acquirendam intelligimus; Idolorum vanitatem utinam ut te noſceres.* Morte illico puniatur quæ blaſphemavit, inquit Maximinus. Eo vix audito lictorum unus ſica ejus præcordia percuſsit, ut beata anima ad cælum volaverit.

Sacrum ejus cadaver à Chriſtianis piè deportatum eſt in ſacellum à S. Proſdocimo ſacratum in honorem Virginis, non procul à martyrii loco: Illicque quievit donec Gerardus Epiſcopus Patavinus, pias reliquias, ut ingentem theſaurum, tranſtulerit in arcam altari maximo ſubmiſſam, egregii illius templi, quod excepta baſilica Romana, cætera Chriſtiana tum amplitudine tum opibus, tum magnificentia ſuperat. Religiosè id cultum eſt à RR. PP. Benedictinis dictis *montis Caſſini*.

Redeo ad Divam noſtram, quæ una cum S. Proſdocimo, S. Daniele, & S. Antonio, civitatis Patavinæ protectrix invocatur: Nec non & Seren. Reipublicæ Venetæ ab eo tempore quo ſeptimo Octobris qui D. Juſtinæ ſacer eſt, 1571. victricem Turcarum claſſem ampliſsima clade dejecit Chriſtianus exercitus, ad Naupactum vulgo *Lepanto*: Hinc vulgaris moneta hanc prefert Epigraphem, PAX TIBI MARCE EVANGELISTA MEUS, averſa verò, MEMOR ERO TUI, JUSTINA VIRGO: Sic junguntur Ser: Reipublicæ maximè faventes, Evangeliſta, & prima martyr.

Bsi pinxit Paulus D. Juſtinæ necem seu martyrium. Digniorem ſupramemorati templi partem, major occupat tabella, tantæ dignitatis ut ab Auguſtino Caraccio ære incidi meruerit: Alteram, tabellam ne an gemmam dixero, inter celeberrimi Pictoris opera cenſent artis periti: Servabatur illa in privato Abbatis ſaccello, donec à loco mandidiore non nihil corrupta, ad ſalubriorem vicinum delata, nuper fuerit.

In medio cernitur ipſa Diva concidens, eluſceſcente in ea tum mortis dolore, tum animi lætitia, quòd virginitatem Deo ſervaverit, ſanctitatem ejus indicante palma, coronaque ab Angelo delata, ad ejus currum e quo rapta eſt, delabente. Veſtes ejus totæ ſunt Patavinæ, anteriori ſæculo uſurpatæ. Corona ad ejus pedes principatum Patavii denotat, quamvis apud hiſtoricos incertus habeatur. Maximinus in ſolio ſedet, prætor ſeu præfectus: Inter comites unus videtur tribunus militum, ſcipionem manu tenens, totus ferro indutus, ſi caput excipiatur, quo Pictoris facies clariùs innoteſceret, ſæpè in ſuis tabellis repreſentati. Cætera parum ad hiſtoriam, impensè ad ornatum faciunt.

D. SEBASTIANVS AD DIOCLETIANI TRIBVNAL.

Opus Pauli Calliarij Veronensis.

DIVUS SEBASTIANUS
AD DIOCLETIANI TRIBUNAL.

OPUS PAULI CALLIARII VERONENSIS.

CHriſtianis Eccleſiæ naſcentis Martyribus in fide immotæ conſtantia laudem ante omnia conciliat. Sævientis Tyrannorum diritatis minas illi ridentes, alacri animo pro ſacroſancta Religione tormenta mortemque ſubibant. Idololatræ totis viribus, totaque contendebant induſtria, ut eos qui Chriſtianæ Religioni nomen dederant, vel præmiorum pollicitationibus, vel terrore pœnarum, a propoſito dimoverent. Incaſſum tamen laborabant: Quò enim plures è Chriſtianis interficiebant, eorum numerus in dies magis magiſque augebatur. Incendium oleo videbantur extinguere, adeo perſecutionibus Eccleſia creſcebat. Idcirco nonnulli a Romanis Imperatoribus vel deſperatione ſucceſſus, vel aliis de cauſis, quas vetera monumenta voluentibus vel legere vel conjicere licet, Chriſtianos quietè res ſuas agere ſiverunt.

Diocletianus tamen, quod alii nequiverant, perficere ſe poſſe arbitratus, in Chriſtianos, qua Romanum patebat Imperium, graſſari ac ſævire cæpit. Ea illi mens erat ut hos prorſus everteret, idolorumque cultum, vanam Religionis ſimiam, ubique reſtitueret. Ea de cauſa plurimi Chriſtianorum occiſi, inde nihilominus Imperator optata conſequi non potuit. Radices tam altas noſtra religio egerat, ut illi tantùm virium, quibus eas convelleret, haud ſuppeteret: ſeu veriùs Deus ex alto, quod illi in animo erat, ex voto conficere prohibuerit.

Inter præcipuos, in quos ille ſæviit, Sebaſtianum è patre Narbonenſi, matreque Mediolanenſi natum, Eccleſiaſtici Annales recenſent: Chriſtianæ fidei dogmatibus imbutus, ab Idolorum ſuperſtitione abhorrebat, palam aliud oſtendens, ut divexatis ab Imperatore Chriſtianis tutiùs diutiuſque opem ferre clam poſſet. Eos proinde opera patrocinio facultatibuſque fovebat. Carceris tetro ſqualore maceratos conſolatus angore levabat, alacriterque tormenta perferre hortabatur. Verùm quia ejus pietas diu latere non potuit, ad Imperatorem delatus fuit, eo crimine quòd eſſet Chriſtianus. Ad ſe accerſitum acriter Diocletianus objurgavit, minis interpoſitis, a Fide Chriſtiana amovere conatus. Quæ cùm irrita cederent, ſibi variis maximiſque promiſſis allicere tentavit: Sed cùm adhuc nihil proficere videret, Sebaſtianum in fide conſtantem ſagittis configi juſſit. Sic undique ſaucium Sebaſtianum, mortuum putabant omnes. Verùm cùm Irene pia fæmina Sebaſtiani corpus noctu ſubripere vellet, ut ſepulchro decenti conderet, eum adhuc vivere comperit. Domum idcircò ſanandum ſecum ducit: ubi non poſt multos dies

ſedulâ piæ mulieris curâ convaluit. Cùm id Chriſtianorum pluribus, qui Sebaſtiano illis faventi ſummoperè addicti erant, cognitum fuiſſet, eum convenerunt, hortati ut Roma profectus aliò abſcederet, donec Tyranni rabies deſæviret. Porro Sebaſtianus illorum monitis haud acquieſcens, conſtanter abnuit cauta ſuggerentibus obſequi, ſua intereſſe magni arbitratus, ſi conſtanti ſua fortitudine in fide tuenda, cujus jam ſpecimen luculentum ediderat, exemplum, aliis pœnarum formidine in fide nutantibus præbere pergeret. Eo igitur animo, domo in qua vulnerum cauſa delituerat, egreſſus Imperatorem adiit, Chriſtianorum cauſam intrepidus agens palam oſtendens falſa eſſe, quæcunque Idololatræ impoſtores Chriſtianis objiciebant, in eo toti, ut innocentibus invidiam malignè crearent, eorumque ſanctitatem, ſeu ſummum ſcelus, iniquè carperent: Diocletianum, qui Sebaſtianum jam vita functum exiſtimabat, ea de cauſa ſtupor corripuit. Simul ac autem quì hoc eveniſſet, certior factus fuit, ira magis magiſque frendens, eum in Hippodromo palatii tandiu cædi fuſtibus juſſit, donec vita cederet.

Hunc Martyrem ſtantem ad Imperatoris tribunal, cùm ab eo vocatus magna conſtantia ſe Chriſtianum eſſe prodidit, Paulus Calliarius Veronenſis exhibet. Aliter ac antiquitas ferat, omnia Paulus pinxit, pingendi optimus artifex, Antiquitatis parum gnarus. Non chlamys aliaque primæ cohortis Ducem decentia Sebaſtianum ornant; ſed catafractus paludamentum Imperatorum tantùm proprium poſt tergum rejectum oſtendit. Facies Pictoris vultum gerit, cui mos erat fere ſemper ſe pingere. Diocletianus in edito ſedens ſolio, variegata magnificè indutus veſte, ſceptrumque manus ſtringens, Sebaſtianum torvè intuitus increpare videtur.

Ad Imperatoris latera duo ſenes (ſive ſenatores, ſive quosvis alios Pictoris libertas fingat) Sebaſtianum deſpectant. Infra tribunal, Milites haſtati ſedent. Ad podia, colloquia duo miſcent, quorum alter ut Sebaſtianus, catafractus enſem ſeu ſpatham infra capulum manu ſtringit: Alter jus Turcarum more caput indutum eſt, & is manu aliquid innuere loquens videtur. Hos juxta Pumilio deformi facie, ſicam ad latus habens, cum cane ludit. Altera parte Miles ſeu Dux equo inſidens, cui prope alius pedes adſtat, conſpicitur. Cætera columnas nimirum, arcus, & podia, ad ornamentum tabellæ ſcitus Paulus confecit, qui ſi ut pingendi artem mores antiquos calluiſſet, uberiùs eruditiſque gratiùs, picturæ explicandæ anſam ſuppeditaſſet.

S. GVILLELMVS AQVITANIÆ DVX.
VESTEM ANACHORETICAM A D. BERNARDO SVSCIPIT.
Fr. Barbieri, vulgò IL GVERCIN, *pinxit Bononiæ, in ædibus S. Gregorij.*

S. GUILLELMUS AQUITANIAE DUX

VESTEM ANACHORETICAM à D. BERNARDO SUSCIPIT,

Fr. BARBIERI, vulgò IL GUERCIN, pinxit Bononiæ, in ædibus S. Gregorii.

EA sunt hominum ingenia, ut si vitio sese addicant, virtutis quandoque prorsus obliviscantur, si virtute animum seriò excolant, vitia cane & angue infensiùs odio habeant. Guillelmus Aquitaniæ Dux ac Pictavensis Comes id clarè ostendit. Donec ille liberiorem vitam secutus, quidquid libuit, licere sibi arbitratus est, Principum pessimus fuit: ubi verò ad meliorem frugem divinitus conversus resipuit, Sanctorum optimus probitate summa correxit quidquid summâ nequitiâ ante deliquerat. Prodigium insolitum præpotensque divinæ gratiæ opus, qui hanc in Guillelmo abdicationem impietatis dicet, verum acu attinget. Nihil enim difficilius ac operosius quàm nequitiam evellere ex animo, in quo altè illa radices egit, sapientum placita experientiæque testimonia probant. Quidvis aliud quisque minus ægrè sibi suasisset, qui nequam Guillelmum nosset, quàm ipsum multis infamem sceleribus multaque hominum cæde cruentum, vitam improbe actam in melius commutaturum. Effreni adeo libidine inter alia fœdus erat, ut fratris uxorem triennali incestu Herodes alter polluerit. Gulæ immanis gurges, quod pluribus hominibus ad victum satis erat solus vorabat. Humani sanguinis appetens invitos reluctantesque, cùm aliud deerat, ad certamen provocabat, ut ex eorum nece ferum animum voluptate sæva recrearet.

Cùm ea tempestate schismate Ecclesia divulsa damna non vulgaria pateretur, Guillemus Petri Leonis qui Anacleti nomen gerebat quique Pseudo-pontifex dissidio sacrilego religionem vexabat, partes fovit, illegitimam auctoritatem violenta sedulitate promovens. Qui dicto ejus audientes esse nolebant, ejusque impiis conatibus vel paululum obstabant, bonorum jactura, exilio, vel morte pœnas dabant. Tantæ præterea impietatis erat, ut Dionysius alter si quid sceleris patraverat, illud facetis nugis glorians ostentaret. Cùm Petrus Pictavensis Episcopus ipsum liberiùs argueret ac diris devore monitis pervicaciter obsistentem inciperet; ille præcipiti furore percitus, objurganti Præsuli stricto gladio mortem intentavit; cùm necem illaturum Episcopus inducias loquendi petens, ut anathemate quo ipsum percellere cœperet, omnino feriret, à proposito revocavit. Mox Guillelmus animadvertens qua id arte Petrus fecisset, nimirum ut quod inceperat, perageret, mortem tali causa libenter obiturus, solitis usus sarcasmis reposuit, nunquam per se factum iri, ut odio quo Petrum persequebatur, hæc inferretur injuria, ut Petrus suæ manus auxilio ex hac vita migrans cælum

ingrederetur. Deinde, ubi poſt audivit eundem Antiſtitem exulantem fato ceſſiſſe, palam ſalſa dicacitate jactavit, ſe pœnitere quòd antea eum non interfeciſſet, ut ipſi ejus anima grates haberet quia in cœlum ei aditum aperuiſſet. Talis Guillelmus erat antequam impietatem dediſceret.

Poſtea vero D. Bernardi Claræ vallenſis hortatu adeo repente mutatus eſt, ut ingenti de patratis facinoribus dolore, ab his omnimoda inpoſterum temperantiâ vitam ſanctiſſimam inſtituerit, lacrymis ac gemitu priorem peſſimè traductam execratus. Lorica ferrea ſuper nuda carne indutus, pluribus gravibus catenis obſtrictus, anteacta crimina totius corporis maceratione expiavit. In ſolitudinem poſt Hieroſolymitanam peregrinationem ſecedens, eremo incluſus, ad mortem uſque delituit ſeverâ penitentiâ emendans quæ nequiter antea fecerat. Ad annum 1156. e vivis diſceſſit, celebrem ſanctitatis famam poſt obitum relinquens. Qui plura cupit (non enim omnia recenſere opus eſt) Theobaldum Epiſcopum cuncta Guillelmi fuſe ſcribentem apud Surium, die 10. Februarii, & Baronium in Annal. ad annum 1135. & ſequentes adeat. Multa hic etiam conſultò miſſa facio, quia difficultatibus obvoluta, diſſidentibus Scriptoribus, confundunt veriùs quam inſtruant: Nec ea diſcutere obſcuraque detegere, ſed plana & obvia referre meum tantùm eſſe arbitror.

Ad tabellam progrediamur, inter opera Fr. Barbieri Centenſis celeberrimam. Hic tamen oculi vitio orbi notior fuit quàm familiari nomine, non apud ſuos tantùm Bononienſes, ſed & cæteros etiam *Guercin* nuncupatus, ſtrabonem latini dicerent. At quantùm levem hanc labem honeſtavit animæ corporiſque decus? quo inter homines excellere viſus eſt, pietate, probitate, induſtria, eximiis & ſibi ſingularibus virtutibus. Obiit ille an. 1667. æt. 70. Sed ad tabellam: Hanc video laudatam in Italico libro Picturas Bononienſes declarante his verbis; *In ſacello S. Felicis ad Nobiles Locatellos pertinente, terret ſimul ac delectat ſtupenda S. Guillelmi tabella, colorum viribus admirationem omnium merita*. Equidem nullos audivi Picturæ amantes qui Bononiam ſuperantes SS. Gregorii ædes negligant, vel ſolius hujus tabellæ causâ.

In illa Sanctus Pœnitens præcipuum occupat locum ſupra loricam induens veſtem anachoreticam, quam D. Bernardi monitis parens, genuflexus induit. Fingitur adeſſe Beatiſſima virgo ſuper nubes Jeſum tenens, a SS. Jacobo & Philippo adoratum, quibus ſacellum dicatum, hoc dyſticho nobilitatur.

Gulielmum, Chriſti matrem, venerare Jacobum,
Nec paveas triplici tute patrocinio.

Fingitur etiam miles vexillifer tantam Patroni ſui mutationem admirans, de qua cum Monacho verba facere videtur, quem ex veſte alba Divi Bernardi aſſeclam judicare eſt.

NOB. MVLIERIS CASTITAS OPE D. ANTONII VINDICATVR.
Titianus pinxit Patauij, in schola S. Antonij.

NOB. MULIERIS CASTITAS, OPE D. ANTONII VINDICATUR.

TITIANUS PINXIT PATAVII, IN SCHOLA S. ANTONII.

SChola S. Antonii templo ac monaſterio contigua, egregiis picturis nobilitata eſt, quæ ne aut tam citò perirent aut fortè diſtraherentur, ipſis parietibus conſignatæ ſunt. Patavini quippe ob ampliſſimas agri divitias, elatumque ob fortes Trojanos majores ſuos animum, gloriæ cupidi, ædes ſacras, palatia publica, privatas etiam domus nobiliſſimè depingi curaverunt; ne per vicos ambulantibus ſua deeſſet voluptas, ſuumque, opinor, ad nobilia facinora incitamentum. In illa ſchola tres eminent, principis pictorum Titiani manu exaratæ, quas ut non ſine magna animi jucunditate mihi ſæpè conſpicere licet, ita ab omnibus peritis impensè celebrari audio: maximè à Georgio Vaſario, in Titiani vita: *Pinxit*, inquit ille, *Patavii in recenti tectorio SS. ædium D. Antonii aliquot hujus hiſtorias*. Ex quo gaudent Patavini, dolent multi, hæc opera aliò deferri non poſſe, quæ ære quantumvis magno redimerentur. Diuturna hæc Titiano remaneat gloria, civitati Patavinæ, atque celeberrimo monaſterio.

Infra unamquamque depictam hiſtoriam appenſa eſt tabella, à duobus circiter ſæculis manu ſcripta, quarum una quod exponimus ita declarat: *Nobilis Ferrarienſis ſuſpectam habens uxoris pudicitiam, hanc moleſtè primùm, deinde acerbè & duriter habebat; Ceſſari rixas ſpes erat à partu, ſi maſculus ederetur, familiæ ſpes & fundamentum. Conceſſit eum Deus, ſed neque matri neque filio majorem conſequi gratiam licuit, aperto ferventiſſimoque odio illos habente Patrefamilias. Hujus pia ac innocens uxor nil aliud opis credidit ſibi dari, quàm ut ad celeberrimum S. Antonium vulgò dictum* Taumathurgum *confugeret, auxilium quærens. Mulierem conſolatus eſt S. Antonius, ſeque ſubventurum promiſit. Familiam proinde viſitans, præſentibus Patre Matreque & aliis, infantulum è cunis ad ſe deferri curavit, & faſciis ſolutum his verbis excepit:* Jam liber es, *inquit*, in nomine Jeſu Chriſti tibi impero, ut liberè dicas quis ſit Pater tuus? *Ille verò obtemperans, quamvis nondum locutus, brachia ad Patrem convertens, illum amantiſſimè nominavit & amplexus eſt. Tunc S. Antonius Patremfamilias alloquens*, An dictis factiſque reſiſteres? *inquit*; Ex ore infantium, & lactentium perficit laudes ſuas Dominus, ut deſtruat inimicum. Tu itaque illi obtempera; & uxorem tuam cenſeas pudicam. *Derepente mutatum eſt cor illius, & lenitus animus, ut concordiam familiæ mirata fuerit tota Ferrarienſis civitas, ad Dei gloriam &*

S. Antonii decus, qui poſtea quamvis vivus illic & ubique miro cultu honoratus eſt.

Hæc ex tabella, quæ tantum D. Antonii miraculum refert: quo quidem maximè opus erat, ut inquietus zelotipia Mariti animus mitigaretur. Cùm enim illa Maritorum mentem invadit, adeò illos obturbat, ut vel leviſſimum quidque violatæ ab uxoribus fidei ſuſpicionem ingerat. Uxorum verba, nutus, motus vel innocentiſſimos, malitia pollutos arbitrantur. Adeò prava opinio illos de ſede rationis dejicit, ut verum à falſo ſegregare non poſſint. Cùm mens illorum eò tendat, ut Conjuges injuriam inferre ſibi putent, omnia earum facta, dictaque in eum collimare ſcopum ſibi ſuadent: Et ſi prudentiæ ductu veritatis tramitem reperire negligant, adeo tranſverſos cæcum judicium agit; ut ad præcipitia miſeris prava animi affectio adigat, nulla exiſtimationis ratione habita, quam tueri falſæ opinionis errore, imprudentibus factis arbitrantur. Præclarè igitur cum zelotypi illius uxore, ope D. Antonii actum fuit: Si ſecus eveniſſet, quæ jurgia, quæ diſſidia, quæ mala innoxiam mulierem non afflixerint?

Diverſo habitu diverſiſque figuris fortè ſcalptori convenientioribus hæc repræſentatur hiſtoria, in nono arcu ſacelli D. Antonii, utar verbis R. P. Santes Saccenſis Burdegati: *Expreſſit Ant. Lombardus egregius ſtatuarius infantulum paucos dies natum, articulata loquela ſuſpicionem adulterii a matre avertentem.* Provida Titiani mens omnem commentario locum eripere ſolet, ut ex ejus penicillo oratio prodire videatur. Dicebatur olim penicillus calami æmulus, & calamus penicilli, ſibi invicem uſum commodantes: At Titiane, quantam vim imitatrici tuæ arti tribuis, tantam eloquentiæ detrahere videris, ut viri zelotypiam, uxoris pudorem, piam S. Antonii confidentiam, cæterorumque curioſitatem & admirationem eloquentiùs deſcripſeris, quàm verbis Rhetor potuiſſet? Accedat alter heros in calami auxilium neceſſe eſt. *Segniùs irritant animos demiſſa per aurem, Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, et quæ Ipſa ſibi tradit ſpectator.*

Id obiter notabo S. Antonium ad vivum graphicè depictum eſſe, vultu planè ſimili ei qui in choro RR. PP. aſſervatur, multis miraculis claro. Variæ veſtes variæque figurarum poſitiones prægrande Titiani ingenium declarant, quod poſtea maximum evaſit, ut ante ſe natos pictores quoſcumque ſuperaverit, poſterioribus exemplum. Colores ne tacebo? adeo vividos & vegetos, ut duorum prope ſæculorum ſenectus nil rugarum nil detrimenti tabellæ attulerit.

ABSCISSVM PEDEM S. ANTONIVS TIBIÆ RESTITVIT.

Titianus pinxit Patauij, in ſcholæ pariete.

SANCTUS ANTONIUS
ABSCISSUM PEDEM TIBIÆ RESTITUIT.

TITIANUS PINXIT PATAVII, IN SCHOLÆ PARIETE.

ALteram Titiani tabellam exhibemus, tanto nomine dignissimam, accurata delineatione vividissimisque coloribus nobilissimam: Pium ejus argumentum venerationem adauget a Christianis quibuslibet arripiendam, intellectu sensim ad majus fidei obsequium deducto. Nec obstat minimum quid esse quod piis animis Pictor ostendit, cùm Divinæ sapientiæ ac providentiæ miracula non minùs in parvis, quàm in magnis eluceścant: Debent enim illa considerari per studium, & nunquam discuti per intellectum. Deum itaque continuò adoremus, & ut præcipit David, *Laudemus Dominum in Sanctis ejus*, qui cùm omnes maximi sint & felicissimi, nobis non nisi magna & felicia erunt exempla, ad Salutem æternam conducentia.

Titiani mentem sic explicat R. P. Santes Saccensis Burdegatus, in vita S. Antonii, cap. 54. cujus verba hic apponere consultum est. *Paduanus quidem Viro Dei confitens peccata sua, inter alia exposuit ei, quòd matrem suam tanta vi trusisset pede, ut in terram dejecerit. Id audiens Vir Sanctus, omnis malitiæ hostis capitalis, cum quodam spiritus fervore dixit*. Pes quo pater aut mater percutitur, meritò quamprimum debet amputari. *Quod ille homo simplex perperam accipiens, illicò domum abit, & pedem amputat. Mox per omnium ora volutat crudele facinus, & ad virum Dei refertur: Qui absque mora adit hominem, & per oblatas Deos preces, crucis signo expresso, jungit pedem tibiæ, & aliquandiu linit sacris manibus suis. Confestim surgit homo, incolumis ambulans, & exiliens, & laudans Deum, & ingentes agens gratias servo ejus fideli Antonio*. Hoc ipsum suo modo in marmore expressit celebris scalptor Tullius Lombardus, in S. Antonii Sacello, tabella septima; ut ex triplici illa descriptione omnino pateat Dei omnipotentia, Antonii sanctitas, & devota Patavinorum pietas.

Hanc quis non miraretur, extensam conspiciens S. Antonii dextram, cujus virtute abscissa membra denuo cohærent? Ut ingentem dolorem sic summam pœnitentiam in jacente & prostrato Juvene conspicio, qui mori maluisset quàm calce matrem impetere. Solatur Leonardum soror, sic enim illum nomina Lelius Mancinus Politianus, manu capiti apposita, mira vultus modestia animi suavitatem indicante, fratrisque infelicitatem deplorante. Nonne misericordiam implorat Mater genuflexa manus extendens, sanctumque Antonium intuens,

anteactis miraculis jam clariſſimum? Qui maximè devotum eſſe fœmineum ſexum negaret, ex hujus mulieris pathemate ſeu affectu abundè poſſet dignoſcere. Ab oppoſito ſtat Chirurgus, cujus indumentum arti quam exercebat, convenientiſſimum eſſe videtur. Tunica rubea eſt & ſanguinea, cingulo coriaceo cincta, manicæ violaceæ. Ex corona pectori affixa ſuppoſitoque ſymbolo, civitatis Regiæ Patavinæ Officialis eſſe videtur. Siniſtro brachio capſulam portat, in qua panni, ſpongiæ, cæteraque curandis vulneribus ſolita; Attonitus totus eſt, qui morbum ſua arte inſanabilem, uno Sancti verbo reparatum videt, ſicque ſe prorſus inutilem. S. Antonii ſocius, ex raſo capite, leucophæi ſeu cinerei coloris veſte, vicinus adſtat, mileſque tum armis tum clypeo illis temporibus uſitato conſpicuus, editum miraculum mirantur, quod vident, quaſi capere neſcii. Cæteri quinque adſtantes mira ætatis habitus & colorum varietate, oculos impensè recreant: Omnes ad inauditum hactenus ſpectaculum ſtupentes, miraculorum Editorem ſuis ſermonibus celebrare videntur.

Superiorem tabellæ partem ornat amœniſſimus proſpectus: Pagus, arbores, convallis, paſcentium pecorum grex, monteſque diſtantiſſimi, tanta elegantia picti ſunt, ut gratior nulla eſſe queat refectio oculorum.

In ea igitur, & quo ſtupeat ſpectatoris oculus Pictoris arte, & quod diſcat mireturque conſiderantis animus, patrato à Sancto miraculo invenire licet. Sanè cùm Juvenis ille nimio pœnitentiæ fervore abreptus tibiam ſibi abſcidit, documento eſt, ne quis abſque prudenti conſideratione quid aggrediatur, quod priùs non perpendat, an illud ſuſcipere ſit rationi legique conſonum. D. equidem Antonius, quò matrem nefariè percutientis immanè facinus culparet, illum ut relatum eſt, objurgavit; ſed non eo animo, ut exequeretur ille, quod Sanctus increpationis tantùm cauſa ſuggeſſerat. Nunquid cùm Divinus Magiſter præcipit, effodiendos eſſe oculos, cùm animæ damnum afferunt, illos ſibi quis eruet? Non ea mente oculos effodiendos mitiſſimus Servator noſter edixit, ut illos verè effoderemus; Verùm ut ſic eos cuſtodiamus, quaſi illis erutis, cæci evaderemus, ne per illos anima in lethale diſcrimen incidat. *Littera occidit*, ajebat D. Paulus, 2. *Cor. c.* 3. 6. nos erudiens, ut ea ſolummodo faciamus, quæ ex vera Legislatoris mente, veritatis inveſtigatione matura præmiſſa, deprehenderimus. Siquis tamen aliter fecit, velut hic Juvenis a D. Antonio ſanatus, ingentis fervoris æſtu excuſari forſitan poterit.

VXOR A MARITO SAVCIATA OPE D. ANTONII SANATVR.
Titianus pinxit Patauij, in ſchola S. Antonij.

UXOR A MARITO SAUCIATA
A D. ANTONIO SANATUR.

TITIANUS PINXIT PATAVII, IN SCHOLA S. ANTONII.

Tertia est & postrema hæc magni Titiani tabella, in eadem schola S. Antonii depicta: cæteræ enim, peritorum consensu, ab ejus discipulis delineatæ adumbratæque sunt, tanti magistri disciplinam ac industriam imitari conantibus. Hanc autem supra duas priores eminere nullum dubium est, quamvis figurarum numero illis cedat, Historiam ejus tacuerunt multi S. Antonii vitam describentes, hanc tamen excerptam habemus tum ex Lelio Mancino Politiano miraculosam Sancti vitam describente, tum ex tabella picto facinori appensa, à duobus circiter sæculis italicè manuscripta.

Strenuo ac nobili militi nupserat formosa Virgo, dotibus multis conspicua: Honestatem ejus ac pudicitiam ornante summa erga S. Antonium reverentia: Maledicentiæ tamen adeo fuit obnoxia, ut maritus multa de uxore audiens, injuriam tandem sibi ab ipsa fieri persuasus sit: Ira accensus pugione portari solito, pudicæ innocentisque uxoris pectus transfixit. Quid ageret imbecillis mulier? Oculos ad cælum erigit innocentiæ suæ ac pudicitiæ testem, Deum invocat calumniæ sibi illatæ vindicem, Sanctique Antonii opem implorat moribunda. Maritus interfector, sibi timens, quò legum severitatem eluderet, consanguineorumque uxoris suæ vindictam, è civitate fugiens, discrimini se subduxit, aut nunquam, aut securè rediturus. Euadenti occurrit S. Antonius, qui re tota cognita, hunc solatus est jussitque domum redire, in qua quasi moriens miserè jacebat vulnerata. Contrectata a Sancto plaga, quæ nullam medicinæ sanationem admisisset, confestim coaluit. Miles attonitus totus mutatus est; quasi de lupo agnus factus: Veniam tum a S. Antonio tum à castissima sua coniuge postulavit & impetravit, Deique gloriam & S. Antonii miraculum tota sua vita celebravit. Hæc, tabella manu scripta.

Innocentia nunquam non divinitus tecta: E re divinæ Providentiæ quodammodo videtur innoxios tueri. Horum patrocinium quantæ sibi sit curæ, Deus pluries ostendit. Iosephus, Jacob Patriarchæ filius, ab Ægyptia domina libidinis furore insana, ceu alieni thori invasor insimulatus, omni ope humana destitutus, qua falsum crimen à se amoveret, innocentiæ patroni Dei auxilio tandem evasit, ad Ægypti imperium à Rege secundus, provectus. Susannæ inter mulieres castissimæ eventus notior est, quàm ut prolixa narratione indigeat. Sacræ Historiæ jam recensitæ aliaque plura innocentiæ cælitus protectæ exempla passim habent. Deus, ejusque cælites è cælo innocentibus adsunt, nunquamque malignitatis odio, livoris calumniis, cæcique furoris iracundia, innocentiam omninò premi sinunt.

Ingentia ejuſmodi Divi Antonii ſtupenda facta cauſam præbuerunt ſolemni *Reſponſorio* quod in ejuſdem honorem tum Patres Conventuales, tum alii ejus nomini addicti, publicè privatimque cantant.

Si quæris miracula, Mors, error, calamitas,
Dæmon, lepra fugiunt, Ægri ſurgunt ſani, &c.

Quod domi peractum eſſe traditur, in agro ad monticuli radices ſeu in occulto, finxit Pictor; fortè ut vivis amœni illius proſpectus coloribus, opus ſuum nobilitaret. Conſpicitur Miles ſicam è vagina detractam dextra tenens, qua jam vulneratam uxorem iterum transfigeret. Illius faciei nihil deeſt, quod animi perturbationem, iram furoremque declarare queat. Miſera vero lacrymis & precibus crudelem Viri ſui impetum coercere tentat: Collapſa ea eſt poſitione ut quod in Julio Cæſare notum eſt, manum veſti admovens, pudori conſuluiſſe videatur, ne vel minima ſui corporis pars nuda exponeretur.

In remoto receſſu conſpicuus eſt S. Antonius, fugientem militem conſolans, genuflexum crimenque ſuum fatentem, quem domum redire ſuadet. Variegata Viri veſtis miram oculis præbet voluptatem, quamvis ex Pictoris mente procedat, non vero ex rei veritate. An Lemovicenſes Galli tales induebant veſtes? opinari foret ridiculum, apud eos porro patratum fuiſſe facinus narrat Lelius Mancinus Politianus. Sed frequentiſſimum illud eſt Pictorum erratum: Græcorum, Romanorumve prælia fumo ornant è tormentis bellicis prodeunte, quæ nonniſi poſt viginti ſæcula ſcilicet à pyrii pulveris invento fuere in uſu. Lepidus eſt continuus iſte Ant. Tempeſtæ Florentini quantumvis celeberrimi error: Sed & ipſe Raphael Sanctius ſimiliter aliquando peccavit, aliique artis pictoriæ Coryphæi, quorum incogitantiæ benigna ſuppleat ſpectatorum indulgentia.

Tanta elegantia animi pathemata hic expreſſa ſunt, furioſa militis rabies, innocentis vulneratæ miſeria, Sancta D. Antonii confidentia, ut penetrare non modò quid agatur, ſed quid cogitetur, ſpectatoribus liceat. Adeo feliciter renovavit Titianus, quod olim Plinius docuerat: *Rarum in ſucceſſu artis picturæ, ut oſtendat etiam quæ occultat.*

S. ANTONIVS PATREM SVVM A MORTE LIBERAT.
Patauij, ad parietem ſcholæ S. Antonij.

SANCTUS ANTONIUS,
PATREM SUUM A MORTE LIBERAT.
PATAVII, AD PARIETEM SCHOLÆ S. ANTONII.

NOstrum non est inquirere in rerum pictarum veritatem, earum præcipuè quæ quantumvis sensibus nostris repugnantes, sacro sanctam fidem insinuare aut confirmare valent, *Pietas ad omnia utilis*.

In eadem S. Antonii schola, magnifico ejus templo contigua, cernitur hæc tabella, non a Titiano quidem, sed ab uno ex ejus discipulis egregiè depicta, cujus explicationem non obscurè declarat Lucas Assarinus in libello de S. Antonii vita. Nobilis quædam virgo Ulisipponensis & formosissima in sui amorem rapuerat ejusdem conditionis juvenem, cujus familia veteri odio suæ erat infensissima. Amor iste, ignis instar diu celari nequivit, quin per totam civitatem spargeretur: Tres Virginis fratres, inimicæ familiæ affinitatem abhorrentes & sibi injuriam fieri arbitrantes, fororis amasium interficere decreverunt, quem incautum noctu adorti, generosè tamen se defendentem, in via publica necaverunt. Ejus cadaver ab iisdem in vicinum hortum delatum est qui fortè ad Martinum Bullionium pertinebat, S. Antonii patrem. In unigeniti filii sui absentiam inquirentes Parentes, sanguinem audierunt sparsum circa Virginis amatæ ædes: accurrunt, & guttularum viam è vestigio sequentes, ad hortum perveniunt Bullionii, in quo repertum cadaver dolorem amplissimum excitavit. Ira incensi, Bullionium accusant, & a Judicibus obtinent eumdem incarcerem coniici, adhibitisque quamvis falsis testibus, homicidii damnari, & ignominiosa morte puniendi. Hora erat supplicio constituta, cùm S. Antonius verbum Dei publicè Patavii prædicans, a Deo de periculo Patris monitus, se ab Angelo raptum, & Ulisipponem deportatum persensit. In lugubrem pompam incidens, hanc sistit, omnesque cogit ad tribunal retrocedere. Attoniti Judex, condemnatus, lictores, carnifex, cæterique ad Palatium remeant. Tunc Antonius voce humanam superante, jubet Juvenis necati cadaver in conspectum omnium deferri: *Jam loquere*, inquit, *Deo volente, & palam facias, num Bullionius te necaverit?* O grande Dei miraculum! Mortuus loquutus est, & hæc protulit verba, *Bullionius cædis meæ non fuit particeps, ejus est innocentissimus; Tu vir Sancte, ora pro me, ne æternùm peream.* Consternatus Judex damnatum senem dimittere coactus est, spectatores Deum laudaverunt, & S. Antonius cadaver signo crucis munitum sepeliri curavit. Eodemque momento, ut ferunt Annales Patavini, in pulpitum reportatus, declarato quod in Lusitaniæ

metropoli geſtum erat facinore, concionem quam inchoaverat, abſolvit. Hoc ipſum refert in S. Antonii relationibus, Lelius Mancinus Politanus: In tertio arcu ſacelli D. Antonii, ſcalptæ ſunt figuræ undecim marmoreæ, ab inſigni ſtatuario Veronenſe Hieronymo Campagna ſtupendum illud miraculum celebrantes. Rem totam exponit libellus orationum cui titulus eſt, *Nuovo & divoto giardino d' orazioni al miracoloſo S. Antonio di Padova &c.* 1688.

Sic D. Antonius vitam, quam à parente acceperat eidem reſtituit: Sic cædis falsò accuſatum à morte exemit. *Non vidi juſtum derelictum*, ajebat David. Sic D. Antonii Pater ſive juſtus, ut par eſt, credere, ſive quia juſti genitor præſens è cælo auxilium in re tanti momenti expertus Regis Prophetæ ſententiam luculenter adſtruere ſuo exemplo poteſt. Cùm nobis humana cuncta, quæ neceſſitatibus noſtris opitulentur, deficiunt, cæleſtia ſuppetias indubie ferunt. Sacra monumenta voluentibus, facta plurima, quæ idipſum re teſtatum faciant, obvia poſſim occurrunt. Aliqua recenſerem, ni delectum impediens multa ſeges, narraturam eventuum hujuſmodi multitudine obrueret. Id unum ſat ſit, ſacris oculis, omniumque ſæculorum experientia ſancitum luculenterque oſtenſum, neminem, qui Deo charus, ejuſque patrocinio fretus, calamitatibus divexetur calumniiſve impetatur, tandem ſibi, vel cùm alia omnia ſperaret, ſubventum non ſentiat.

Omnibus patebit, opinor, figurarum declaratio. In ima parte jacet Juvenis interfecti cadaver, juſſu D. Antonii ad tribunal delatum: In ſuperiori parte Judex ſedet attonitus & quaſi confuſus: Hinc illincque ſtant quaſi cauſam dicentes patronus ſupplicium Bullionei poſtulans, tum S. Antonius parentem retro ſe poſitum ab impoſita calumnia vindicans.

Cætera ad ornamentum videntur efficta. Nec omnino vanum erit obſervare duos pſittacos a duobus ſpectatoribus manu geſtatos, indicandæ fortaſſis Luſitaniæ ſeu ſcenæ, quæ cum pſittacorum patria, Africa & utraque India, florentiſſimum tunc habebat commercium. Scheda infimæ tribunalis parti affixa, deſignare videtur, quibus impenſis picta fuerit hæc tabella: Pro HERE PROPRIO ſubſtituendum eſſe opinor ÆRE, neque porro ſatis abunde docemur, quis impenſam fecerit: At piam fuiſſe animam nullo modo dubitamus.



VBI THESAVRVS, IBI COR.

Opus Dominici Contareni, Patauy, in Schola S. Antonij.

UBI THESAURUS, IBI COR.

OPUS DOMINICI CONTARENI, PATAVII, IN SCHOLA S. ANTONII.

VIx ullum unquam miraculum legere aut audire contigit, quin ad confirmandam ampliandamve fidem ac doctrinam conferre non videatur. Utrumque præstat hujus tabellæ historia, a R. P. Santes Saccensi Burdegati, in vita S. Antonii descripta, c. 49. his verbis,

Avari fœneratoris Cor inter pecunias reconditum.

In Usurarii cujusdam exequiis, Vir Dei concionaturus, thematis loco, illud accepit ex Evangelio, Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. *Sub concione autem inter cætera ait, Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Ite ad thesaurum ejus, & in illius medio invenietis cor ejus, corpore jam humato. *Abjerunt hominis parentes & amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum ejus invenerunt: Quod ejusdem Usurarii aperto corpore, nec corde invento, factum comprobarunt.* Idem illud ab eximio scalptore Tullio Lombardo, marmori consignatum est, MDCXXV. in sexto arcu sacelli D. Antonii. Diffusiùs & paulò aliter id describit tabella manuscripta, picto facinori à duobus circiter sæculis appensa, in schola D. Antonii. Hetruriam nominant nonnulli scenæ locum; atque Florentias alii; Ubi res gesta fuerit, parum ad nos facit, quam in S. Antonii Relationibus uberrimè descripsit Lelius Mancinus Politianus.

Nil omisit Pictor quò historiam totam eloquenti suo penicillo declararet: Cadaver jacet in pheretro, quod instante D. Antonio & præsente populo dissectum est. Medicus (chirurgumne dixero) ex setacea purpurea undosaque sua veste conspicuus, manum injicit in præcordia, totusque stupet illa esse vacua, deficiente vitæ principio ac præcipuo organo. Quæsitùm, jussu D. Antonii, cor in arcula reperitur, nummis repleta, & illud est quod vetulus minister dextra apprehensum exhibet adstantibus; inter quos S. Antonius primus tenet. Nonne videtur hìc cum Salomone dicere *Qui aurum diligit non justificabitur*, & inde populum monere: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, insatiabili quippe ista divitiarum cupidine nihil scelestius, ut corruat necesse sit qui confidit in illis. Neque solùm enim avarus ea quæ habet libidine augendi cruciatur, sed & amittendi metu: Quid refert quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si alieno inhiet, si non quæsita, sed quærenda computet? Non enim pauper est, qui minus habet, sed qui plus cupit; nec qui plus habet, sed qui minus cupit, dives: Suntque immodicæ divitiæ veluti ingentia & enormia gubernacula: Faciliùs mergunt quàm regunt, quòd habeant irritam copiam & noxiam nimietatem:

Quid de avaro factum foret, jam pronunciavit Spiritus sanctus ; *Pecunia tua sit tecum in perditione*.

His auditis, pii adstantes Usurarii illius ossa Sanctorum reliquiis misceri non sustinuerunt, sed extra sacram cœmiterii tellurem, in viam proiici calcanda curaverunt; ut cujus anima jam publicè fædata cognoscebatur, nec honorifica cadaveris locatione gauderet.

Sic meritò malè actum est cum illo, qui naturæ melioris a qua se avertit, pietatis ac æternæ salutis oblitus, ex lucris illlicitis, ex pauperibus pressis, tantam pecuniæ vim sibi nihil profuturam corraserat. Infelix! quot pericula subiit, ut illam congereret: Laboribus improbis partam in sui extremum exitum possedit, illius non Dominus, sed vile mancipium : Sic ipse sibi damnum attulit. Auri sacra fames aviditate nimia opes, quibus fruantur, adipisci cupientibus ea mala confert. Nil avaritia pejus: quippe quæ conquisitis cæterorum vitiorum sordibus avarum inquinat, hominemque ad sidera erectum ut in cœlo thesauros paret, incurvat, inque telluris viliora perperam diligenda mergit. Quò fit, ut brutis parum absimilis, non rationis sed aviditatis ductu, omnes suas actiones a recto devias, in divitias quærendas æqui honestique immemor dirigat. Quasi æternùm hìc ei vivendum foret, eas magis magisque augendas omni tempore ob oculos habet, easque quandoque demum relinquendas numquàm secum reputans. Excors proinde appellari verè potest; Dei namque nutu, & fænerator ille impius de quo hìc loquimur, corde caruit.

Atrium illud duplici marmorearum columnarum ordine ornatum, nec ad sacras ædes, nec ad fæneratoris domum referri opinor, sed ad solam Pictoris mentem, miraculosum facinus ita decorantis. Is autem erat Dominicus Contarenus, celeberrimus Titiani discipulus, quem dicunt inclitæ familiæ spurium fuisse. Quo referre libet, nonnullos Venetiis (ut olim stante Romana Republica, clientes nomina Patronorum assumebant) faventium sibi Procerum nomina arrogare, ut Hebræorum etiam multi non aliter quàm nobilissimarum familiarum nominibus appellentur.

SCYPHUS

SCYPHVS NON FRANGITVR VT INCREDVLORVM CORDA FRANGERENTVR.
Patauij, in ſchola S. Antonij.

SCYPHUS NON FRANGITUR,

UT INCREDULORUM CORDA FRANGERENTUR

PATAVII, IN SCHOLA S. ANTONII.

AD hujus tabellæ explicationem confert quod nuper me docuit vir pius, in publica concione à D. Auguſtino excerptum. *Aliter magi faciunt miracula, aliter boni Chriſtiani, aliter mali: Magi per privatos contractus cum dæmonibus; Boni Chriſtiani per publicam juſtitiam; Mali Chriſtiani per ſigna publicæ juſtitiæ:* Ex his enim eduntur quæ propter naturæ uſum eveniunt. Summum eorum fructum ita colligit D. Chryſoſtomus: *Sicut lac ſine labore & ſine opera dentium manducatur, & manducantem ſuavitate ſua delectat, ſic & mirabilia nullum laborem videntibus ponunt, ſed videntes admiratione delectant, & ad fidem molliter irritant.*

Ejus generis eſt hoc ſcyphi miraculum, qui quamvis ex alto projectus, non fractus eſt, ut ſcilicet corda hæreticorum & infidelium frangerentur, verumque Dei cultum reciperent, conciliante frequentiſſimo miraculorum editore D. Antonio, & ſi abſente: Hiſtoriam deſcripſit italicè Lucas Aſſarinus, *in S. Antonii vita*, quam latinis hiſce verbis tradit R. P. Santes Saccenſis Burdegati, c. 77.

Alcardinus miles è Salvaterra, parum fidei catholicæ tenax, quam aliàs omnino reſpuerat, dum ubique a tantis miraculis commendari audiret Antonium, nil credebat. Veniens mox Patavium, cùm in hoſpitio eadem multiplicari & videri quotidie ad ejus tumulum dicerent convivæ: Duræ, *inquit*, ego ſum fidei, neque quidquam ex dictis credam, niſi projectum hoc vitreum vaſculum, & in petram colliſum, integrum ſervaverit ille, quem tantorum aſſeritis miraculorum patratorem. *Projecit fortiter in pavimentum lapide ſtratum, ut vel ipſo caſu frangeretur vitreus ciathus, ſed integer veluti durus ſilex reſiluit. Quo viſo miraculo, credidit cæteris, Antonii ſanctitati, & fidei catholicæ; atque præmiſſa peccatorum confeſſione, paruit deinceps ſanctis Eccleſiæ inſtitutionibus, humili corde ubique deprædicans à ſe probatam Viri ſancti virtutem, in cujus fidem vaſculum circumferebat.* Illud ipſum eſt, quod & viſitur inter S. Antonii reliquias, & memoratur in harum indice, Venetiis nuper impreſſo, pietate Comitis Ant. Boromei. Vario modo id expreſſum eſt in octavo arcu ſacelli S. Antonii, ab inſigni ſtatuario, cuius tamen nomen nobis ignotum eſt.

Inter præcipua D. Antonii miracula hoc recenſetur nec injuria: obſtirmatè namque procacem increduli animum ad rectam ſententiam revocare, opis non

eſt exiguæ . Sunt quidam in propria opinione vel palam falſa tuenda adeo ſibi placentes, ut omnibus aliorum placitis malignè rejectis , meridiano in lumine inter inſcitiæ tenebras inſipienter cæcutire malint, quàm oculis apertis veri lucem undequaque diffuſam conſpicere . Si quando veritatis vi ad errores abjiciendos compelluntur , adhuc obſtinatiores interdum obluctantur , ſatiùs arbitrati è re ſuæ dignitatis eſſe ignaros , quàm errantes detegi ; cùm tamen pertinaces utriuſque notæ cenſuram planè ſubeunt. Sic Miles ille , ne in aliorum à D. Antonio edita prodigia deprædicantium ſententiam diſcederet , & illa & laudantes irridebat , quamvis & ea & ipſius impietati refragantes,quam nequiter id ab eo fieret , apertè oſtenderent . In ſolum projectus ſcyphus integerque ſervatus ejus contumaciam contudit , quia condicto ſe obſtrinxerat, ex conditione appoſita, ut ſi vitreus non frangeretur calix , reſipiſceret . Adeo pertinax eſt Increduli animus, ut niſi quæ videt probare nolit , ſenſibus magis quàm rationi , quàm prudentioribus aliter ſentientibus tribuens , ſe nimirum cæteris audaci ſuperbia prudentiorem ſapientioremque exiſtimans.

Tabellam ornavit Pictor quantùm potuit : porticum adpoſuit in qua major Spectatorum numerus collocaretur. Stupent omnes ſcyphum conſpicientes , cujus integritatem minus capere quàm admirari poterant . Suſpici maximè debet illa Virgo , facie ex dimidia ſui parte velata, quam ajunt artificioſiſſimè depictam, & cautæ regionis mores indicantem . Meminiſſe juvat Poppeæ illius Othonianæ, Neronianæ , *cujus* inquit Tacitus , *rarus in publicum egreſſus , idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum.*

Veſtium illius ævi varietas jucunda eſt & commoda, noſtræ tamen ab iſtis ſunt alieniſſimæ, ut zona, galeri, calcei & crepidæ: Nec planè vanum eſt duos Juvenes in porticu ſtantes obſervare aperto capite: Quod in Galliis ſeptentrionalibuſque regionibus cephalalgias aliaque capitis incommoda excitaret, Patavinos liberat, ubi ad ſeptennium pueri puellæque nullo utuntur capitis indumento, quod olim legiſſe memini de Ægyptiis caput externis injuriis hac arte aſſuefacientibus , Perſis è contra idem calidè munientibus . Equidem ſumma hic adeſt aëris clementia, quam præter climatis temperiem, ventorum flabellationi inter Alpes Euganeoſque montes ludentium, Medici tribuunt.

Pictoris nomen adipiſci , etſi ſedulo inquiſiverim, conſequi nunquam potui : Conjectura eſt ex tempore & egregio pingendi modo , illum fuiſſe è clarioribus Titiani diſcipulis.

TRANSLATIO RELIQVIARVM S. ANTONII.
Depicta a Dominico Contareno, Patauij, in schola.

TRANSLATIO RELIQUIARUM

S. ANTONII.

DEPICTA A DOMINICO CONTARENO, PATAVII IN SCHOLA.

HActenus de pictis S. Antonii miraculis. Honor ejus reliquiis præstitus, & in hac tabella celebratus jam venit explicandus; quod commodiùs fiet si de ejus vita nonnulla subjunxerimus.

Natus erat in Lusitaniæ metropoli, A. D. M C LXXXXV. è patre Martino Bullionio, Alphonsi Regis milite, & matre Maria Taveris. Hujus epitaphium Ulisipponæ etiamnum visitur, hisce verbis: *Hic jacet S. Antonii mater*. Ætatis anno XV. inter Canonicos regulares S. Augustini locum obtinuit, & Deo se omnimode sacravit. Martyres tandem optimo jure primos esse Christianos meditatus, & Conimbriæ audiens aliquot Monachos Franciscanos pro fide sacrosanta fortem a barbaris mortem oppetiisse in Africa, sibi quoque hanc palmam conciliare studens, fratribus Minoribus à D. Francisco nuper institutis, nomen dedit, æt. XXVI. Pro Ferdinando, Antonius dictus est, ut mutato nomine se tutiùs mundo absconderet, familiariumque suorum molestias vitaret. Sacra itaque veste induta, Marochum petit, martyrii siti exæstuans: Sed aliud decreverat divina providentia. Cum morbo diu conflictatus, tandem sociis suis permisit se in patriam reduci, Ventis obstantibus, in Siciliam detrusus est; E qua ad varia sui ordinis monasteria atque ad Assisiana comitia progressus est. Piis doctissimisque concionibus, populos docens & solans, tantam ex iis sibi famam comparaverit, ut a Pont. Max. Gregorio IX. *Arca testamenti & sacrarum scripturarum armarium*, nuncupari sit meritus. Equidem D. Franciscus Antonium *suum Episcopum* solebat appellare, unde a variis & ob varias causas dictus est *Evangelicæ veritatis præco, superstitionis vindex, Hæreseos fulmen, Hæreticorum malleus, & ardentissimus terrarum Seraphim*. Cætera epitheta omittamus, eamque miraculorum multitudinem, quibus *Thaumaturgus* universo fere consensu honoratus est.

Ad res gestas redeo, Galliam invisit, ac tandem Patavium, urbem tum aeris salubritate tum populorum fide & benevolentia sibi dilectissimam quibuslibet aliis habitationibus prætulit, sacris concionibus, secretis confessionibus, piisque operibus continuam tradens operam. Nonnullis etiam scribentibus eum tum Patavii Theologiam publicè docuisse, tum Bononiæ, atque etiam Tholosæ in Aquitania. Vitam tandem laboribus, jejuniisque exhaustam terminavit, 13. Junii

1231. æt. XXXVI. in loco Arcellæ prope Patavium, ubi ideo ſacellum extructum eſt, palam per civitatem agroſque vicinos clamantibus pueris *Sanctum* obiiſſe.

Anno ſequenti a Papa Gregorio IX. in numerum Sanctorum relatus eſt. Dimicantibuſque multis pro ſacrarum reliquiarum poſſeſſione, Fratribus Minoribus Conventualibus adjudicatæ ſunt. In templum D. Mariæ priùs dicatum, magnificentiſſimè deportatæ fuerunt, & pro temporum ratione ab altari maximo ad templi medium, tandem ad ſumptuoſiſſimum illius ſacellum, prout viſitur, depoſitæ. Ejus arca argento marmoreque conſpicua altare facit, ad quod pii Patres & omnium ordinum Sacerdotes celebrandis miſſis accurrunt, indulgentiis variorum Pontificum decoratum.

Tabellam nunc exponamus, elegantiſſimè ſacras D. Antonii reliquias exprimente, prout a Guidone de Monteforti Comite de Bononia, Cardinale titulo S. Anaſtaſij, XV. Februarij MCCCXXX translatæ, ab arca marmorea ad argenteam. Refert R. P. Santes Saccenſis Burdegatus, ſuper hanc arcam eumdem Cardinalem miſſam celebraſſe, præſentibus Patriarcha Aquilienſi, Archiepiſcopo Iadræ, Aldobrandino Epiſcopo Veronæ, & multis alijs Epiſcopis & Prælatis. Quidni ipſi forent in hac tabella depicti? Equidem Cardinalitio amictu indutus percipitur ille Guido Legatus Apoſtolicus, qui cùm apud Jacobum de Carraria hoſpitatus eſſet, genuflexus D. Antonij avulſam capiti maxillam conciliat, ac eidem prodignitate ſervandæ, thecam argenteam fieri curavit, ſuo ſtemmate decoratam, in ſolemni proceſſione quotannis deportandam (Is enim interceſſione S. Antonij ab imminente mortis periculo euaſiſſe dicitur) Et illa ſtylobatæ impoſita viſitur in media tabella.

A capite arcæ depictos eſſe opinor ante hac nominatos Antiſtites; Ab ejus dextro latere Magnas conſpicitur, purpurea veſte indutus, pellibus Zibellinarum muſtellarum obducta. Quidni eſſet ille Jacobus de Carraria, quintus Paduæ Dominus, *vir atrox, ſed ſagaci prudentia*, inquit Tomaſinus? Quantum ex ejus effigie alibi depicta recordari licet, icon ad vivum expreſſa eſt. Hunc ferunt Annales Patavini hujus anni menſe Julio necatum a Guillelmo de Carraria Jacobi magni ſpurio. Sed de illo hactenus.

Conjectura eſt nobilem illam fæminam genuflexam tot monilibus gemmiſque ornatam, ſacras D. Antonij reliquias venerantem, eſſe Conſtantiam de Polenta, è Dominis Ravennatibus, alteram Jacobi de Carraria uxorem, cui decenter aſſiſtit famula, nigra veſte ſuperinduta.

Cœtera ad Pictoris libitum excogitata, & ſacram illam feſtivitatem, & tabellam mirificè exornant: Illum fuiſſe Dominicum Contarenum, alterius tabellæ ſimilitudo, in qua cadaver Avari corde carentis ſupra expoſitum eſt, abundè mihi probat.

DIVVS HIACINTVS DEIPARÆ SVPPLEX

Lud. Carracius pinxit Bononiæ, in templo Dominicanorum.

D. HIACYNTHUS DEIPARAE SUPPLEX.

LUDOVICUS CARACCIUS PINXIT BONONIÆ, IN TEMPLO DOMINICANORUM.

SI unquam pictura ea, quæ ob oculos vix poni queunt, palam conſpicienda exhibere conata eſt, id in hac tabella Caraccii peritia præſtitit. Pictores tunc laudibus cumulandi, cùm non illa tantum quæ vel etiam rudibus extimo aſpectu innoteſcunt, verùm cùm illa, quæ animo ſolummodo dignoſci poſſe videntur, ſolerter effingunt. Id apud priſcos a Timante egregiè factum: Cùm enim Iphigeniam aræ admotam pinxiſſet, multoſque eo caſu mœrentes circa illam, inter omnes patruus Menelaus mœrore affici conſpiciebatur: Qua ratione dolentem Patrem penicillo exprimeret, ſi mœroris vim totam in Patruo conſumpſerat? Parte veſtis os paternum velavit, aliorum mœſtitiam a Patre longè ſuperari latente dolore innuens. Eandem laudem hac tabella ſibi Caraccius adſciſcit, apertiùs tamen D. Hiacynthi animi teneras affectiones palam faciens. Sanctus Deiparæ ſupplex, obſequium quo ſanctiſſimam Virginem colebat, ore, geſtu, poſituque patefacit. Illa Angelorum agmine ſtipata D. Hiacyntho annuere benigno affectu videtur. Leander Albertus l. 5. de Viris illuſtribus Ordin. Præd. quod hic ſcitus pictor feliciter exhibet, eleganter ſic recenſet. *Quum aliquando in vigilia Aſſumptionis beatiſſimæ Mariæ, ante aram poſitus ingenti cum affectu tantam celebritatem diei meditaretur, & totus lacrymis perfuſus anhelaret ad illam felicem ac cœleſtem domum, ut perfrui tantis gaudiis aliquando poſſet, è veſtigio conſpexit è cælo prolabi lucem ingentem ſuper aram cujus in medio Reginam cœli ſibi dicentem collocatam vidit:* Macte virtutis eſto, Hiacynthe, & lætare eò quòd tuæ a Filio meo & a me exaudiuntur preces: Quod enim petendum duxeris, me interveniente conſequere. *Continuoque in cœlum ſeſe recepit; Cujus in receſſu tanto concentu, ac tam dulci harmonia Hiacynthi aures oppletæ ſunt, ut vix enarrari poſſet.* His quidquid in tabella obſcurum eſt, dilucidè explicatur. De Angelis enim non eſt cur quis ulteriorem indagationem quærat: Satis ſuperque patet vix unquam a Pictoribus Virginem pingi, quin ab illis velut cœleſtibus Ephebis comitatu honoratam exprimant. Hic præcipuè neceſſarium id erat, cùm ad hiſtoriæ veritatem muſicum concentum ad Hiacynthi aures tanta ſuavitate allapſum innuere oporteret: Illum indicant cymbalum & barbiton in Angelorum manibus. Sic Caraccius præter pictorum morem quæ ad hiſtoriam faciunt, figmentis a veritate alienis exploſis concinnè expreſſit.

De D. Hiacyntho plura hic addere ſupervacaneum foret, ni ſuſcepti inſtituti tabellas tantum explicandi ſepta tranſilire aptius quis duceret, ne Sancti geſta

ignorans quanto inter cælites merito emineat parum appositè celetur : Summa ideo rerum vestigia sequi placet. Jvo Cracovienſis Antiſtes Romam voti cauſa iturus Hiacynthum ſibi conſanguinitate junctum ſecum duxit. In ea Vrbe degens tunc D. Dominicus, cætu monaſtico inſtituto, cui ob concionandi munus, eòque collapſam morum doctrinam reparandi, *Prædicatorum* nomenclatura eſt indita, pietatiſque fama inclareſcebat. Moribus ac ſanctitate viri, Cracovienſis Præſul captus & illectus, ab eo flagitavit ut ex ſuis alumnis quoſdam in Poloniam mitteret, qui pietati decus reſtituerent, Deoque cultum integrum redderent. Verùm cùm D. Dominicus (ut fermè omnia initio, & ortu parva ſunt) paucos eo tempore ſocios haberet, quibus adjutoribus in orbe reformando uteretur, ſibi haud integrum eſſe talia petenti optata promptitudine ſatisfacere ſignificavit. Porrò ne illius vota irrita eſſent, optionem ei dedit, ut è ſuo comitatu nonnullos delectos quos inſtrueret ſibi concederet, quibus operoſam demandaret provinciam. Tres Ivo ad id deſtinavit, inter quos præcipuus D. Hiacynthus, qui Dominicano cœtui nomine dato, in Poloniam rediit. Novo vitæ inſtituto genere ſibi virtutibus ornando, orbique corrigendo ſeriò ſeſe addixit. Ejus præclara facinora proque inſtauranda religione, ſupremoque numine placando exantlatos recenſere ſingillatim labores, opis non eſt noſtræ. Annales Eccleſiaſtici mirifica ejus geſta, ob quæ plurima eaque inſignia beneficia, Chriſtiana Religio virtus & probitas illi accepta referunt fuſe narrant. Si quis eum primis Apoſtolis comparet, haud aberrabit. Quid enim non fecit ſermone opere & exemplo, ut in ſcelera prolapſi impietatem dediſcerent, probitatemque amplecterentur? utque in tota Polonia Religio & ſanctitas tutò & cum dignitate verſari poſſent? Hunc ſanctiſſimum Virum tot meritis clarum inſignibuſque portentis celebrem ſingulari veneratione Polonia, colit, quam ſuo decoravit ortu, mortalibuſque locupletavit exuviis, benefico patrocinio nunquam non ſe propitium, opem implorantibus præbens.

De Pictore nonnulla fari liceat. Caraccios ut ſummos artis pictoriæ magiſtros ac reſtauratores poſteri venerantur, accuratiſſima quippe delineatione & colorum aptitudine cæteros ſuperâſſe videntur, & ſcholâ quam inſtituerunt Bononienſi ſeu *Caracciorum* dictâ, æternam nomini gloriam conciliaverunt. Ludovicus patruus erat Annibalis & Auguſtini, diſcipulus Camilli Procaccini & Ant. *da Coreggio*, a quorum præceptis declinare non dedignatus eſt, ut ſublimem Annibalis pingendi modum imitaretur. Hi tres ſimul concordes laboraverunt, ut ſanctimoniâ vitæ, morum probitate ac mutuâ amicitiâ non minorem quàm artis peritiâ laudem mereantur. Hanc tabellam in templo Dominicanorum Bononiæ conſpicuam ſoli Ludovico adſcribunt harumce rerum periti, quam impenſiſſimè laudant.



S. PETRVS MARTYR A MANICHÆIS INTERFECTVS.
Titianus pinxit Venetijs, in templo Dominicanorum.

N. Cochin. del. et sc.

S. PETRUS MARTYR

A MANICHÆIS INTERFECTUS.

TITIANUS PINXIT VENETIIS, IN TEMPLO DOMINICANORUM.

NEminem, qui vel leviter noſtra calleat, præterit, Religionem Chriſtianam à primis uſque cunabulis diuturno temporum ſpatio tyrannidis ferocientis crudelitate adeò vexatam, ut niſi Deus ea qua ſuis rebus ſolet, promptitudine opem labanti tuliſſet, actum de illa prorſus videretur. Certatim conjuratæ Imperii Romani vires eam convellere nitebantur; totoque Orbe iis temporibus cognita in eos qui ſe Chriſto addiſcebant, ea ſæviebatur diritate, ut vix effugium quo ſe tutò reciperent, uſquam pateret. Poſtquam Gentilium odium in Chriſtianos deſæviit, identidem tamen non defuerunt fidei hoſtes, qui licet à Chriſtianis ſe haud alienos jactarent, perverſa dogmata ſecuti, Religionem verè colentibus non leve faceſſiverunt negotium.

Inter hos, anno ab orbe redempto 277. Manes genere Perſa, conditione ſervus, eo præcipitis, atque ex nominis etymo inſanæ temeritatis pervenit, ut Religionem prorſus confuderit, novas opiniones fabricatus, ex Ethnicis quidquid profanum, ex Judæis quidquid cæcum, ex artis magicæ impiis arcanis quidquid Sceleſtum, ex omnibus hæreſibus quidquid a veritate abſonum, decerpens. Hujus Nebulonis blaſphema doctrina apud multos adeo altè radices fixerat, ut & mille poſt annis in aliquibus locis adhuc vireſceret. Veronæ Urbe Italiæ celeberrima, etiam duodecimo ſæculo ea graſſabatur peſtis. D. Petro Martyri, quem hic a Titiano pictorum coryphæo pictum exhibemus, ea infecti parentes obtigere, qui ut nobilitare reliquis eminebant, ſic impietate præſtabant. Obfirmata pertinacia Manichæorum dogmatibus addicti, iis & Petrum imbui cupiebant, omnem adhibentes induſtriam, ut voti compotes fierent. Verùm cùm eorum ſpes Veronæ eluderetur, puero cælitus veritatem edocto, Bononiam illum mittere ut a ſententia diſcederet ſtatuerunt. Arbitrabantur nimirum Adoleſcentulum licentia vivendi in ea ætate, quæ ut umbra corpus voluptates ſectatur, blandis malignorum comitum ſuam rubiginem affricantium ſuaſionibus, quibus conſtantem pueri animum concuterent, in Manichæorum tandem caſtra profecturum. Porrò quàm infelix exitus maneat conſilia, quæ pietati adverſantur, eventus oſtendit. Tunc temporis cùm Bononiam Petrus ivit, D. Dominicus ſanctitate ac doctrina improbos & hæreticos profligans, collabentem Religionem fulciebat, litterariis concertationibus errores oppugnans, concionibus nequitiam perdomans. In ea Urbe præſertim cum ſuis alumnis ſtrenuam huic rei navabat operam, magno

ſuorum laborum fructu, plurimos Manichæis pertinaciter hærentes ad rectam fidem pertrahens, plurimos ad probitatem amplectendam redigens. Petrus igitur Viri ſanctitate permotus, pioque deſiderio animarum ſalutis procurandæ fervens, monaſtico D. Dominici inſtituto, ſextum decimum annum agens, nomen dedit. Tyrocinio poſito, in vitia & hæreſes bellator ſtrenuus prodiit, exemplo virtutibus ac doctrina nunquam non indefeſſus, Hæreſi exitium moliens, Religionem ſubſidio valido firmans. Per plures annos tot ſuſceptis laboribus non paucos de ſceleribus ac erroribus triumphos retulit. Fremebant impii extrema ſibi timentes: Inſidiis igitur ſtructis, Mediolano Comum redeuntem adorti interfecerunt, ſummo Catholicorum mærore, Manichæorum gaudio.

Poſt mortem, Sanctus tot miraculis claruit, ut brevi ab Innocentio IV. Pontifice maximo in Sanctorum dyptica relatus fuerit. Inter præcipua illud prætereundum haud videtur, quòd vita functus hæreſim adeo labefactavit, ut paucorum ab ejus obitu interjectu menſium, vix unus vel alter qui pravis dogmatibus hæreret inventus fuerit, omnibus certatim ab errorum falſitate deſciſcentibus, ob prodigia à Sancto poſt mortem edita. Sic re ille præſtitit, quod vivens vilibus minis pollicitus iis fuerat, futurum ſcilicet fuiſſe, ut a ſe mortuo Hæreſi acrius inferretur bellum, quàm vivens intulerat. His aliis innumeris miraculis, quæ in pluribus autoribus Sancti geſta ſcribentibus legi poſſunt, magnopere cultus eius percrebuit.

Plures Civitates propitiam ejus opem imploratam expertæ eum ſibi adſcivere Patronum. Vrbs Patavina præcipuè, inteſtinis diſſidiorum motibus concuſſa ob diſcordes Civium animos, aliis Guelphorum, aliis Gibellinorum partes foventibus, pace in D. Petri Martyris feſto anno 1323. repente inita, cùm odio cuncti reciproco æſtuarent, cùmque bellum & arma tantùm meditarentur, nullaque concordiæ ſpes affulgeret, illud beneficium acceptum Sancti patrocinio piè retulit. Quapropter animi grati ergò, publico decreto, unanimi omnium conſenſu D. Petrum Martyrem IV. Idus Maii ejuſdem anni, quinto nimirum die à pace firmata, Patronum elegit, indicta quotannis ſolemni ſupplicatione ad ædes Dominicanorum D. Auguſtini: Quam temporum injuria ſi non intermiſſam, nonnihil tamen diminutam, hoc anno denuo Civitas novo decreto reſtituit, Patroni cultum pro ſua in eum pietate augens.

Hunc Sanctum Titianus in ingenti tabula Venetiis in templo Dominicanorum SS. Joannis & Pauli pinxit, totam artis, ingeniique induſtriam in tantum opus conferens: Illum exhibet, cùm in itinere à Sicariis confoditur. Tanto in pretio apud omnes hæc Titiani tabella habetur, vt illam intuentes vix ſatis unquam ſuſpiciant, ſtupore defixi: in ea enim quidquid perfectum pictura præſtare poteſt, conſpicere licet.



CONCILIVM TRIDENTINVM,
Velut expreſsum est in æde Cathedrali D. Mariæ ſacra.

CONCILIUM TRIDENTINUM,

VELUT EXPRESSUM EST TRIDENTI,

IN ÆDE DIVÆ MARIÆ SACRA.

Uiſquis tot Virorum delectum cœtum conſpexerit, ex ordine ſedentium, è loci ſanctitate, aliquid magni momenti per eos agitatum haud ab re putabit: Nec equidem fallitur, qui ſic exiſtimat. Conſeſſus tam venerabilis iconiſmus, Concilium ſæculo præterito Tridenti per plures annos habitum adamuſſim exhibet, prout in cathedrali D. Mariæ templo viſitur. Et quia ex talis picturæ explicatione permulta ſcitu digna pendent, operæ pretium arbitror nonnihil hic apponere.

Initio igitur tranſacti ſæculi, Orbe Chriſtiano bellis aſſiduis concuſſo, non vulgare damnum pietas & religio fecerant: Eccleſiaſticorum mores à primæva probitate degeneres, nova dogmata Boemorum, quæ credebantur exciſa, clam ſuboleſcentia, Principes ſe ſe mutuis inſectationibus invicem divexantes, rectitudini ac fidei extremum ferè minabantur exitium. His malis augmentum non leve Martinus Lutherus à fide Romana transfuga contulit. Islebii in Saxonia, 11. Kalendas Octobris natus, anno 1483. annoque 1504 D. Auguſtini. Cœnobiticum inſtitutum amplexus, tandem illius vitæ pertæſus, capta occaſione Indulgentiarum (ut vocant) quas pro conſtructione templi D. Petri Romæ Leo X. Pont. Max. in Germania promulgandas juſſerat, anno 1517 opiniones quaſdam placitis Eccleſiæ Romanæ adverſas propalare cæpit: Exuto cucullo, novis dogmatibus proſeminatis, plurimorum judicia & voluntates ab avita diſtrahens, novam divini cultus formam inſtituens, in eo potiſſimum totus erat, ut Romani Pontificis auctoritatem convelleret. Quamplures vel rerum novarum avidi, vel ea ratione Carolo V. Imperatori, a quo Germaniæ Principes ſibi timebant, faciliùs poſſe obſiſtere arbitrati, Lutheri opiniones foverunt. Sic ex animorum ac Religionis diſſidio, Principes Carolo adverſantes viribus aucti, moleſtum Imperatori exhibuerunt negotium. Cùm ergo ex Religionis mutatione plurimi in dies enaſcerentur tumultus, quietum antea Germaniæ ſtatum perturbantes, Imperatori ac aliis Principibus turbas peroſis, varias concordiæ rationes inire placuit, quibus ſeditiones coërcerentur, animique ſedati exuta contumacia quietem amplecterentur.

Plures ideò conventus habiti, ſed nullus inde fructus obvenit: Immo a Romana Religione ſegreges, pervicaciùs inde in ſua ſtetere ſententia. Germania,

corpori ulceribus undique ſcatenti , cui Medici manus adhibita difficilius illa ſanabilia reddat , ſimilis videbatur . Inter Germanos Proceres nonnulli erant , quibus hæc Religionis mutatio non vulgarem afferebat vtilitatem : Rebus turbatis commoda & emolumenta , quæ aliter parare ſibi non poterant , acquiſitu facilia ſperabant . Hinc diſſenſionum incendio , quò fere tota illa regio flagrabat , oleum quo luculentiùs arderet , ſuppeditabant .

Tandem ne latiùs flamma , ut minabatur, ſerperet , Paulus III. Farneſius , illam reſtinguere meditatus , anno 1542. XI Kalendas Junii Concilium Oecumenicum ad hoc indixit . Quantopere Concilio Eccleſia indigeret , ſapienti rerumque peritiſſimo Pontifici clam non erat . Id etiam ſe optare Sectarii omnes jactabant : Et quidem nullum aptius remedium , quo præſentibus occurri malis poſſet , ad manus erat : Id olim , cùm hæreſes graſſarentur , ſæpenumero factum . Ad Concilium ideo Tridenti habendum vocati , qui Luthero ſe addixerant , ejuſque ſectæ nomen dederant , intereſſe renuerunt : Cauſati, ſibi nequaquam liberum integrumque futurum , animi ſenſa ~~ſibi~~ e ſententia promere , novaque dogmata , quæ Lutherus cuſerat , liberè propugnare, veriti , ne ſibi quæ Jo. Huſſio & Hier. Pragenſi Conſtantiæ evenerunt , pariter acciderent .

Quamvis tamen illi deeſſent , inceptum Concilium anno 1545. Id. Decembris , cui ex orbe Chriſtiano ſanctitate dignitate & doctrina clariores interfuerunt . Tridenti continuatum uſque ad ſeſſionem octavam , in qua V. Idus Martii anno 1547. Paulo III. annuente , Bononiam translatum fuit Seceſſionis cauſa valido exercitu in Auſtria Sectarii Carolum propulſantes fuerunt . Concilii Patres inde ſibi timentes disjecerunt conventum , ſtationem Tridenti minimè ſibi tutam , furentibus in proximo armis putantes , Bononiæ quia in Italiæ meditullio ſita urbs ſecuritatem præſtabat , quietiùs de Religione ſe acturos meritò arbitrabantur . Non benè conveniunt armorum graſſantium cruenta prælia , & ingeniorum ſacræ placidæque velitationes . Bononiæ proinde duæ ſeſſiones habitæ : Cùm tandem turbine illo armorum dira minantium evaneſcente , Julius III. anno 1551. quo Kal. Maii , Patres qui aderant , diſtractum Concilium , denuo connectere cæperunt , lentè tamen res agitantes uſque ad 14. Kal. Maii , anno 1552. quo etiam tempore ſtatutum fuit Concilium intermittere , bellis diuturniorem conſeſſum intertubantibus . Mortuo demum Julio III. Pius IV. anno 1560. Concilium iterum proſequi decrevit : Verùm nonniſi anno 1562. XV. Kal. Februarii Concilio perficiendo dari opera primùm potuit . Sic Pio nullam non diligentiam adhibente , ut rei tantæ finis denique imponeretur , Pridie Nonas Novembris 1562. Concilium abſolutum fuit . Hæc breviter de Concilio referre neceſſarium viſum eſt , ne mutila picturæ declaratio , illis omiſſis , Lectori parum grata eſſet .

Ad primum igitur inſtitutum facto reditu , quæ in pictura digna ſcitu uiſuntur , explicatio patefaciet . Intimum templi S. Mariæ proſpectum exhibet hæc tabella . Oſtendit præter laqueatam arte teſtudinem , circumquaque ſurgentes è pavimento epiſtiliis ornatas Corinthiis , prægrandes laquear ſuffulcientes columnas , atque in intercolumniis , pro ſacris faciendis , marmoreis decorata ſtatuis , nobilia ſacella . Ara major , in fornice concamerata cœli formam viſu pulcherrimam præbet . In hemicyclo ante aram circumfuſa innumeraque Mortalium multitudo conſpicitur . Primum tamen ſibi locum vindicant inter columnas erecta podia , gradibus excelſa , theatrique præferentia imaginem , in quibus nobiliores ac inſigniores Viri , ad quos de rebus ad Concilium ſpectantibus agere

pertinebat

pertinebat, ordine conſident. Præcipuos inter illos (omnes quippe recenſere propoſitæ brevitatis tranſilire terminos cogeret) ſequens catalogus, dignitatis ratione habita, indicabit.

LEGATI CONCILII, MEDII INTER ORATORES IN EDITO SEDENTES.

I. Hercules Gonzaga, Mantuanus, S. R. E. Presbyter, Card. tituli S. Mariæ Novæ, qui Tridenti 2. Non. Martii 1563. vivere deſiit, ſepultuſque fuit Mantuæ.
II. Hieronymus Seripandus Neapol. S. R. E. Presbyter Card. tit. S. Suſannæ, qui pariter Tridenti obiit, 15. Kal. Aprilis, ibidemque cadaver conditum in Templo S. Marci, FF. Heremitarum S. Auguſtini, quorum antea ſummus fuerat Moderator Cœnobiticus.
III. Stanislaus Hoſius, S. R. E. Presbyter, Card. tit. S. Laurentii in Paniſperna, Polonus Warmienſis, operibus editis, orbi litterario notus.
IV. Ludovicus Simonetta, Mediolanenſis, S. R. E. Presbyter Card. tit. S. Cyriaci in Thermis.
V. Marcus Siticus de Altemps, Germanus, S. R. E. Diac. Card. tit. Baſilicæ duodecim Apoſtolorum.
VI. Carolus à Lotharingia, Gallus, S. R. E. Presbyter, Card. tit. S. Apollinarii, Princeps & Archiepiſcopus Rhemenſis.
VII. Ludovicus Madrutius, Germanus, S. R. E. Card. electus Epiſcopus Tridentinus.

ORATORES ECCLESIASTICI A DEXTERA LEGATORUM SEDENTES.

VIII. Antonius de Muglitio, Moravus, Archiepiſcopus Pragenſis, Orator Cæſareus, pro Rege Boemiæ.
IX. Georgius Draſcovitius, Croatus, Epiſcopus QuinquEccleſienſis, Orator Cæſareus, pro Regno Hungariæ.
X. Valentinus Herbutus, Polonus, Epiſcopus Præmislienſis, Orator Sereniſſimi Regis Poloniæ.
XI. Marcus Antonius Bobba, Caſalenſis, Epiſcopus Auguſtenſis in Pedemontio, Ducis Sabaudiæ Orator, ad Cardinalatum poſtea evectus.

ORATORES SÆCULARES, A SINISTRIS LEGATORUM SEDENTES.

XII. Sigiſmundus à Thun, Tridentinus, Orator Cæſareus.
XIII. Ludovicus de Lanſac, Orator Chriſtianiſſimi Galliarum Regis.
XIV. Ferdinandus Martines Mazcarenius, Orator Regis Luſitaniæ.
XV. Nicolaus à Ponte, Doctor & Eques, Orator Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ.
XVI. Melchior Luſſi, Eques auratus, Orator Helvetorum.
XVII. Auguſtinus Paungartner, I. V. D. de Monachio, Orator Ducis Bavariæ.
XVIII. Joannes Strozzius, Orator Florentinus.
XIX. Angelus Maſſarellus, Septempedanus, Epiſcopus Theleſinus, Concilii a ſecretis.

XX. Claudius Fernandes Quignonius, Comes Lunenſis, Orator Catholici Hiſpaniarum Regis.

Cur autem hic ſingulari loco ſeorſim ab aliis ſedeat, narrare ut eſſet longioris narrationis quàm brevitas prçſens patiatur, ne tamen id prorſus ignoretur, compendio rem totam ob oculos ponere juvabit. Poſtquam Domus Auſtriaca tot Regnorum additione, & Imp. Caroli V. felici ductu, in illud ſummum, quo ſæculo præterito potiebatur faſtigium, provecta fuerat; Auſtriacorum Legati, alios omnes Regios Oratores infra ſe putantes, primas in publicis conventibus ſibi ſedes arrogabant. Galli autem gradu, quem jamdiu poſſidebant, ſe deturbari nequaquam paſſi, Auſtriacorum conatibus obſiſtentes, locum ſupra omnes Regios Legatos ſervare volebant, Præcipua in hac re contentio anno 1546. VI. Kal. Julii, cùm ad Concilium tres Regis Gallorum oratores, Claudius Dunfreus, Jacobus Lignerius, & Petrus Danezius perveniſſent, incepit. Dum enim locum ſolitum in Legatorum ordine ſibi dari petiiſſent, nec Legatis Ferdinandi Regis Hungariæ Caroli V. fratris cedere vellent, parum obfuit, quin re infecta diſcederent. Res tandem multis conſultationibus agitata eò pervenit, ut petitus locus juxta Cæſareum Legatum illis daretur. Verùm cùm poſtea Hiſpani Regis Legatus perveniſſet, omnem contra Gallos movit lapidem. Præcipua ejus ratio hæc erat, jure Hiſpani Regis Legato digniorem, poſt Oratorem Cæſaris, locum dandum, quia Rex Hiſpaniæ titulo etiam Imperatoris Indiarum gaudens, aliis Regibus dignitate præſtabat. Galli verò validiùs reponentes diùturniorem loci poſſeſſum, dignioremque titulum Galliarum Imperatoris ſuo quoque Regi tributum, cedere omninò recuſabant. Poſt multas hinc inde concertationes, conventum tandem fuit, ut locus ab aliis Oratoribus ſeparatus Hiſpano Legato deſtinaretur, Gallis in poſſeſſu illius, quo potiebantur, permanentibus. In conſeſſu igitur Concilii medio, ante locum Angelo Maſſarello Concilii a ſecretis deſtinatum, è conſpectu Cardinalium Legatorum delecta ſedes fuit. Hæc igitur eſt cauſa, cur Hiſpaniarum Legatus eo loco ſolus ab aliis remotus ſedeat.

Hæc ſunt quæ ad picturæ brevem & dilucidam explicationem conducere videntur. Curioſitati plura cupientium videntur Hiſtorici, quorum inſtitutum ſingula Concilii Tridentini acta fuſius recenſere, ſatisfacient.

TRIVMPHVS BACCHI ARIADNEM AMANTIS.

Opus Titiani, Romæ, in palatio Barberinorum.

Ioseph Iuster. sculp

TRIUMPHUS BACCHI
ARIADNEM AMANTIS.

TITIANI OPUS, ROMÆ IN PALATIO BARBERINORUM.

QUatuor omnino Bacchanalia a Titiano picta sunt: Tria cùm in Hispaniam deferrentur, naufragio perierunt, aquis absorpta. Quartum apud Principem Barberinum Romæ visitur in Prænestino palatio, vulgò *di Palestrina*, quod Bacchum præcipuè refert è curru salientem ad Ariadnem, multis Silenis hilaribusque Nymphis stipatum, in modum triumphi: Quæ singula breviter perpendere animus est.

Ariadne Minois Cretæ regis & Phasiphaes filia, veste cærulea, & negligenter rubra Zona succincta cernitur: *Quæ de ea narrantur nihil certi habere* docuit me Trajani præceptor Plutarchus. Et quidem fabulati erant Veteres, Venerem post indicatum suum a Sole adulterium cum Marte, in universam Solis stirpem sæviisse, quare Phasiphae Solis filia tauri amore capta fuit, & Minotaurum genuit, Ariadne verò ingratum & durissimum Theseum experta est: Verùm pars antiquorum Scriptorum maxima, eam Theseum amasse memorant, Heroem corporis animique dotibus quoslibet superantem, cui in labyrinthum intranti globum fili tradiderat, summitatem tenens, ut occiso Minotauro è labyrintheis flexibus se eriperet: Et quidem id successit feliciter, monstro enim interfecto, Theseus destinatum ipsi cibum, Athenienses septem impuberes masculos totidemque fœminas liberavit, ac vna cum Adriadne in patriam reversus est: Ingratus tandem novo amore uri se passus est, & in Ægles gratiam, nautis commisit, ut Ariadnem in Naxum insulam deportarent, ac ibi relinquerent. Misera ingratum fugientis sui Thesei animum lugere & à Superis opem implorare videtur, tanto artificio, ut utrumque pathema Titianus mirabiliter expresserit.

Bacchus in media tabella conspicitur, puer intonsus & muliebri facie formosissimus, è superbo curru ad eam prosiliens, cui *Desertæ & multa querenti, Amplexusque & opem Liber tulit*. Certè illum Athenis ita pictum fuisse memorat Pausanias, *Ariadna dormiens, Theseus discedens, & Bacchus ad Ariadnæ raptum accedens*. Primordia erant alterius descriptionis Ovidianæ.

Occupat amplexu, lacrymasque per oscula siccat,
Et pariter cœli summa petamus, ait:
Tu mihi juncta thoro, mihi juncta vocabula sumes,
Nam tibi mutatæ, Libera nomen erit.

Ex ea ſex liberos Theſeus ſuſtuliſſe dicitur, Oenopionem, Thoantem, Staphylum, Latramyn, Evanthen, & Tauropolim, omnes Heroes ſeu Reges: Ceramicum alii addunt, alii alios.

Quamvis multi fuere Bacchi, omnium celeberrimus fuit ille Jovis & Semeles filius, de qua hanc narrant fabulam. Deperibat Semelem Jupiter ob præſtantiſſimam formam, at zelotypa Juno id reſciens, dolenſque implicatum alienis amoribus maritum, larvatam induit Beroes nutricis ſpeciem, Semelem adit hortaturque, ut a Jove peteret ad ſe eodem modo quo ad Junonem veniret, ſcilicet ut intelligeret quæ ſit voluptas cum Deo concumbere, illumque per Stygiam paludem jurare compelleret ſacramentum apud Numina inviolabile: Quo perſuaſo, ac poſtmodum impetrato, Jupiter acceſſit cum fulminibus & tonitru, Semelemque conflagravit; *Nam corpus mortale tumultus Non tulit aerios, doniſque jugalibus arſit*. Bacchus tamen ab igne, ope Mercurii ereptus eſt: Jovis femori primùm aſſutus ac deinde Nyſo educandus traditus, unde Dionyſus appellatus, atque etiam *bimater*. Hunc vini Deum finxerunt Antiqui, ideo vitibus coronatum, pampinis & hædera: Utiliſſimum enim humano generi cenſebatur, malorum oblivionem procurans, ſomni autor, & triſtitiæ ſolatium. Pectore nudo illum pingebant, quia ſecreta pectoris nudant ebrii: *Arcanum demens detegit ebrietas*. Unde apud Horatium, *Quid non ebrietas deſignat? operta recludit*. Illinc vulgaris Græcorum paræmia, *in vino veritas*. Egregium eſt illorum figmentum, dum circa Bacchum ad vitis umbram ſuper tigride equitantem, trium animalium imagines fecerunt, ſimiæ, porci, & leonis, indicandis totidem ebriorum affectibus, quos vel minimùm noſſe propemodum pudet.

Duas currum ſequentes Nymphas ſive Mænades ab inſania, ſive Thyades à furore, porro Bacchas, audeo cymbaliſtriam & crotaliſtriam nuncupare, cymbalum & crotalum laſciva conviviorum inſtrumenta quatientes, triumphumque perſonantes. Atque etiam unum è Silenis juvenem Berecynthio cornu ſtrepitum edentem, quem audire & quaſi videre facit Pictoris ſolertia: Collidentes autem cymbala in antiquis ſacrorum Bacchanalium ſcalpturis ex ære & marmore illi ſæpè viſuntur.

Senex ille anguibus irretitus, ebrium refert: Bacchi enim triumphus duplex ab Antiquis cenſebatur, de vinum ſobriè bibentibus quos hilariores faciebat, & de aliis ad furorem inde concitatis: *Inſanire facit ſanos quoque copia vini*. Sic Apollinem Gratias dextra tenentem excogitaverant Antiqui, ſiniſtra arcum, ſagittaſque: Exemplum ſcriptoribus futurum, elogia paranymphoſque præferri debere injuriis, & ridenda poemata ſatyris, quæ litteratæ ebrietatis ſpeciem, meo quidem arbitrio conſtituunt. An ille ſenex tam eruditè à Titiano pictus idem non ſit quem ingeniosè finxerat Ovidius?

——————Tu bi jugum pictis inſignia frænis,
Colla premis Lyncum: Bacchæ Satyræque ſequuntur,
Quique Senex ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet

Picturam enim & Poeſin ſorores eſſe credidit Antiquitas, illam oculos, hanc ſuavi ſua harmonia nobiles mentes delectantem, illam mutam, hanc eloquentem, utramque ingenuorum hominum amore digniſſimam.

Quidni vipera ea eſſet Amphisbæna quæ dormientis ſub arbore Bacchi tibiam momordiſſe fertur, palmite vitis ab eodem expergefacto necata, cùm nec ligno, nec ulla alia re interfici potuiſſet. Cardiacam vini virtutem ſub hoc ænigmate

expreſſerunt

expreſſerunt Mythologi, adverſus pleraque venena valentis, & calorem nativum benignè retocillantis. Hæc ſæpe puella ab Avo meo Guidone, ſæpiùs a Patre audivi, Viris orbi litterato notiſſimis, & in arte medica ut emeritis ſic celeberrimis utroque tantæ temperantiæ, ut quidquam vel minimum ab uſu vini ſe paſſos fuiſſe non rarò affirmaverint. Unus porro ab aulæ gallicæ deliciis non in totum abſtinuerat præſtantiſſimis vinis indulgens; alter in Germania lautè exceptus, per novem annos optimorum virorum mores & genium ſuaviter aſſecutus eſt.

Tres pueri, Silenos ne dixero an Panyſcos, currum ſequuntur, quorum alter pedes opitulari videtur alteri, fortè ebrio, aſino inſidenti: Sed cur aſinus in Bacchi triumpho, & frequens Silenorum portator? Quia putationem vitium adinvenit, harum culturæ valde neceſſariam. Cùm enim aſinus vitis pampinos abraſiſſet, ſarmentorum imminutionem utilem eſſe vitibus oſtendit, exinde majorem vini copiam præbituris: Hinc in gemmis & marmoribus antiquis, Silenus ac ipſi Satyri ſæpè aſinis inequitant.

Unus è Silenis aut Panibus ſequitur, vituli femur dextra geſtans, ſiniſtra thyrſum, haſtam ſcilicet pampineam, frondibus vitium atque hæderæ decenter ornatam: Et ipſe hædera coronatus eſt. Notum eſt hæderam, ſmilacem & abietem ſacras eſſe Baccho plantas, atque interdum quercum. Ejus femora tegunt caprarum pelles, animalium videlicet Dionyſio infenſorum, quia vitem rodentium: *Rode caper vitem* &c. ideo in Bacchi ſacrificiis hircos cædi vetuſtus ſcribit Herodotus. At quid vituli membra ad Bacchi triumphum? Crederem quia vinum non bibit, ſolo utens lacte aut aqua: Hujus caput funè trahitur a ludente puero Satyro formoſiſſimo, cujus *aures* quales deſcripſit Horatius, pinxit Titianus, *Capripedum Satyrorum acutas*.

Bacchi currum trahunt Tigres, ſolius inter Deos, ferociſſima aliunde animalia, uſu opinor vini cicurata: Hos celebrat ingenioſiſſimus Poeta:

Jam Deus in curru quem ſummum texerat uvis.

Tigribus adjunctis aurea lora dabat. Inde Bacchus dictus eſt domitor hominum domitorque ferarum. Lynces dicunt alii, Pantheras alii, quoniam Baccho ſacras, & propter intenſum calorem, vini avidiſſimas; quare a Venatoribus, dum ſunt ebriæ, facilè capiuntur. Apud Ægyptios ebrioſitatis hieroglyphicum cenſebantur, & in Græcis Romaniſque nummis, Bacchum aut comitabantur aut deſignabant: Earum enim maculis, opinor optimè deſignari ebrium, volentem, nolentem, nutantem, &c. Hyrcanas Tigrides ubera Baccho admoviſſe dicunt, quas ſuo junxit currui, indicandæ vinolentiæ quæ ſemper inſiſtit feritati. Indicant etiam moderato vini uſu ferocientis animi ſævitiam demulceri: Ita Polyphemus, apud Homerum, ſummæ crudelitatis vir deſcribitur, qui *Maroneo delinitus vino, Ulyſſi molliùs abblanditus eſt*. Sic apud Plautum, irato homini vinum propinandum edicitur, quo bilem dilueret; ne fabulis ſancta Pauli documenta idem præcipientis adjungam. Inſtitutum inde Bacchi Orgiis, *Armenias curru ſubjungere Tigres*.

Naxon maris Ægæi inſulam & inter Cyclades celebrem, ut ſcenam indicavit pictorum Coryphæus, aut ideo gratam Baccho, quòd ibi relictam à Theſeo Ariadnam amaverit. Fortaſſis quod Bacchi natale fuerit ſolum, unde dicta Dionyſias, ipſi ſacra: cujus ſignum fons ille in quo editus recenter Infans ablutus fuerit, in vinum eximiæ ſuavitatis ideo converſus. Fortaſsis etiam ob vinearum fertilitatem, quæ *parvæ Siciliæ* nomen Naxo indiderat. Servium etiam fortaſſis legerat Titianus, ut erat hiſtoriarum amantiſſimus, ſcribentem in Naxo, poſt devictos Gigantes, Bacchum egiſſe triumphum.

Corona ſeptem ſtellis coruſcans, Ariadnes fuiſſe exiſtimatur, à Libero Patre inter ſidera collocata, quam à Venere & Horis muneri acceperat, cùm omnes Dii in ejus nuptiis dona conferrent. Dicitur illa à Vulcano facta ex auro & Indicis gemmis.

Clara Ariadnæa quondam monumenta coronæ : Hæc Manilius ex Ovidio : Hic porro novem gemmas, novemque ſtellas memorat.

Dicta facit, gemmaſque novem trasformat in ignes,
Aurea per ſtellas nunc micat illa novem.

Illius mentionem fecit, Aratus in Phænomenis,

Atque Corona nitet clarum inter ſidera ſignum,
Defunctæ quam Bacchus ibi dedit eſſe Ariadnæ.

Navigium plenis velis ad Occidentem tendens, ſupponerem Theſeum Athenas vehere, niſi indicando mari aut ornandæ tabellæ credat quislibet.

Cætera planè ad arbitrium Pictoris efficta ſunt, ſed quanta elegantia, qua venuſtate? Illas ſoli intelligent quibus ſuperbiſſimum hoc Titiani opus intueri ac admirari licebit.

Improbantes videor audire nonnullos inter has aut ſacras aut hiſtoricas tabellas, adjectam eſſe unam aut alteram planè fabuloſam, tali ſocietate indigniſſimam. Id primum ſum opinata permittere Titiani, Paulique Calliarii famoſiſſima opera, qualiacunque argumenta ex eorum mente penicilloque prodierint. Fabulæ deinde non omnes ineptæ ſunt, & ſi vim veritatis non habeant, rationem tamen habent qua poſſit veritas manifeſtari: *Ficta voluptatis cauſa, ſint proxima veris.* Multæ ad rectè honeſtèque vivendum conferunt; quamvis incredibiles aliquæ ſint, tamen homines laudabiliter commovent. Hos excitant ad admirandum, ideo ad inquirendum, ut ſciatur cauſa ejus de quo miratur admirans. Declarant præterea multæ ſecreta naturæ: Nullæ à vera ſapientia ſunt alienæ, ſi quales ſunt, ſuſcipiantur: Et ut in vite foliorum palmitumque umbris pulcherrimæ ſæpè uvæ occultantur, ſic ſub fabularum delectamentis quaſi pampinis reperiuntur crebrò ſuaviſſimi fructus.

——————mutato nomine de te
Fabula narratur, congeſtis undique ſaxis
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

IVDICIVM PARIDIS.
a Paulo Calliario Veronense depictum.

JUDICIUM PARIDIS,

A PAULO CALLIARIO VERONENSE DEPICTUM.

Amvis famoſiſſimæ omnium ut dicunt hiſtoriæ tabulam à Paulo Calliario pictam numquam mihi videre contigerit, incidi tamen nuper in exemplar ejus, utinam toties veritatem, quoties & mira colorum ſuaviſſimè mixtorum gratia, & accurata corporum delineatorum præſentatione, ingenuam Pictoris ſolertiam exprimens. Fabulam hæc nobis ſiſtit tabella, plurimarum aliarum fæcundam matrem, ſi nomen hoc, illi, ut nulla dubito, jure convenit, quæ & Trojanam ἅλωσιν cum Imperii Aſiatici ruina, Græcorumque populorum gloria genuit, ac illam humanas mentes jam ante occupantem Numinum propaginem ita amplificavit, ut non ſolum uni homini vix duo Dii Eudæmonis & Cacodæmonis nomine inſigniti ſufficerent: Sed nec rebus plurimis aliis, & quod mireris, talibus quæ hominibus in uſum non cedunt, poſt hac Numina ſua defuerint.

Sed nunc de fabula ad ſcalpturam, ab eo quod dixi exemplari deſumptam redeo Et quoniam Pictor noſter Mercurium Dearum ducem extra tabulæ ſuæ atque ita, ut mihi videtur, juſto remotiores terminos abſcondidit; verita ego, ne & ipſa impar ſim, quæ linearum, vel rudiſſimarum illius ſapientiam ac calliditatem complexi Numinis ducere queam, Paridem accedo, arbori montis Idæ innixum, præſtanti forma, ac liberali facie quamvis ætate confirmata, ſed robuſto corpore, qualem eum eſſe decet qui teſtante Hygino *fab.* 273. Neſtorem Nerei, Helenum, Deiphobum, Politem Priami, Telephum Herculis, Cygnum Neptuni, Sarpedonem Jovis filios in gymnico ludo, & jam ante ejuſdem Priami filios fratres ſuos tunc incognitos, taurum cujus ille amore incenſus erat, abducturos vicerat, imò iuxta Homerum Diomedem ipſumque ſalutis Conciliatorem Machaonem vulneravit, tandemque Achillem, Græcorum fortiſſimum ſagitta confodit. Neque verò commendata à plurimis fortitudini juncta formæ ſuavitas Paridi defuit, ne ſcilicet ea re ipſe deficeret, cujus arbitrum illum Jupiter deſtinaverat, aut indignus videretur dono quo ipſa formarum Dea votum ejus compenſavit.

Sicut autem hanc pulchritudinem corporis egregiè Pictor expreſſit, ita optandum eſſet ut dum officium Paridis deſignat, baculum ſiniſtra tenentis & molloſſo ad pedes ejus quaſi ſedente, veſte tamen non Itala ſed Phrygia, corpus induiſſet; Enim verò qui hominum communis error eſt, ut peregrina, quæ nunquam ſenſibus perceperunt, eadem ſub ſibi familiarium ac domeſticorum conceptu imaginationi

ſiſtant, etiam Pictores hactenus nondum deſcruiſſe videmus. Ineptiam eorum hic notare liceat qui Græcos Romanoſve Gallicis aut alienis veſtibus induunt: Id enim obſervare ſæpè mihi contigit a præſtantiſſimis Pictoribus erratum: Ut taceam de ineptis illis ſeu Pictoribus ſeu Pöetis, Chriſtiana ſacra ethnicis fabulis accommodantibus, Hymeneum Junonemque nuptiis Jacob & Rachel advocantibus, Mercurium Tobiæ præficientibus, Jovemque tonantem cum Moiſe verba facientem. An decent talia? nonne abſona? cachinnos certè Democritis movent, veriùs Heraclitis luctum.

Nunc verò in ſaltibus Phrygiis verſans Ego, ab officio paſtoris ad elegantiarum arbitrium, quod penes eundem Paridem eſſe Jupiter voluit, ſaltum facio, ratione cujus pomum dextra Veneri tradere videtur, ad quem ſeu inopinatam ſententiam, in admirationis ſymbolum manus ſiniſtræ digitos duos attollentem, Deam Junonem eſſe, Pavo expanſis ſpeculantis caudæ pennis incedens ſignificat, indignatam porrò ex vultu cognoſcendam, quòd Jovis & ſoror & conjux Divumque Regina bubulco diſplicuiſſet.

A Junonis dextra ſub pallio nudæ Veneris aliger Cupido proſpicit, ſententiam Paridis matri ſuæ exoptatam expectaturus, quæ & ipſa ſerena fronte oculiſque blandis favorem Paſtoris deperibat.

Demum Pallas haſtam ſiniſtra tenens, & vultu ſapientiam virtuteſque profeſſa, dextera compellantis imaginem exhibet, orantiſque ut menti ſcientiis excolendæ ac famæ, Regius Paſtor proſpiciat.

Paridis gregem in paſcuis verſantem inter arbuſta collis tauri, & capræ capita denotant, fineſque tabulæ noſtræ ponunt. De qua equidem multo plura prolixiſſimè dici potuiſſent, niſi eadem jam ante decem annos Parens meus optimus in explicatione Nummi Mauroceniani occupaſſet, cui adeo nummo tabellam noſtram accurata & accommodata imaginum præſentatione tantò magis cedere agnoſco, quantò minus Pictorum noſtrorum diligentiam artificioſiſſimorum illius ætatis Sculptorum præſtantiam attingere, omnes vel in his talibus ruditer tantùm verſati norunt. Hoc enim habet Antiquitas præſtantiorum temporum, ut mille paraſangis opera ſuperet hocce ſæculo abſoluta, ſive Architectonicam ſive Sculpturam ſpectamus: Quidni de pictura id diceremus, cujus tamen difficilius eſſe judicium opinantur Eruditi. Sed manum de tabula.


P. Calliarij Veron. in.
n del. et fe.

ALEXANDER DARII VICTOR

CLEMENS ET CONTINENS.

PAULI CALLIARII VERONENSIS OPUS; PRO PROCERIBUS PISANIS.

INter eximia Pauli Veronenſis opera, illud præcipuè apud Venetos Proceres Piſanos, ob vicinas ædes, *di Frari* dictos emicat, in quo Alexander Magnus proſtratas Matrem, Uxorem & Liberos Darii benigniſſimè excipiens exprimitur. Magnum ſiquidem in magno ſe præſtitit Pictor, & artis miraculum prodidiſſe videtur in tanti Herois humanitate delineanda.

Celeberrima eſt quam retulit a Dario victoria, orbis prædo Alexander Macedo, inter Syriam & Ciciliam, ad Iſſum, inde dictam Nicopolim, prope Pylas Amanicas, ubi in acie cæſa ſunt Perſarum peditum centum millia, decem verò millia interfecta equitum: At ex parte Alexandri, quatuor & quingenti ſaucii fuere, triginta omnino & duo ex peditibus deſiderati; Equitum centum quinquaginta interfecti: Tantulo impendio ingens triumphus ſtetit. Verùm longè clarior & decantata Magni Macedonis clementia erga victos in illo certamine Perſas, & præcipuè erga Darii familiam, quam, licet in ſua poteſtate captivam, ſummis honoribus & inauditis ſuæ munificentiæ teſtimoniis decoravit, inter quæ illud admirabile celebratur, cùm Regias illas perſonas inviſit, earum mœrorem & lacrymas levaturus.

Ferunt Scriptores Alexandrum cum Hephæſtione amicorum chariſſimo, in earum tabernaculum intraſſe, quem poſtremum Reginæ Regem eſſe ratæ, ſuo more veneratæ ſunt; at ex ſpadonibus captivis uno, quis Alexander eſſet monſtrante, Siſigambis advoluta eſt pedibus ejus, ignorationem ob nunquam antea viſum Regem excuſans, quam manu allevans Rex: *Non erraſti*, inquit, *Mater, nam & hic Alexander eſt*. Inde eis ſe nunquam defuturum pollicitus, opem ſuam exhibuit, & bono animo eſſe juſſit. Ac tum quidem ita ſe geſſit, ut omnes ante eum Reges & continentia & clementia vincerentur. Virgines & Reginas excellentis formæ tam ſanctè habuit, quàm ſi eodem quo ipſo parente genitæ fuiſſent.

Conjugem Darii quam nulla ætatis ſuæ pulchritudine corporis vicit, adeo ipſe non violavit, ut ſummam adhibuerit curam ne quis captivo corpori illuderet: Omnem illis cultum reddi imperavit, ut quidquam ex priſtinæ fortunæ magnificentia Captivis detraxiſſe viſus fuerit.

Hanc inauditam Alexandri indulgentiam Syſigambis admirata adeo ſemper coluit, ut cùm ſuſtinuiſſet poſt Darium vivere, Alexandro eſſe ſuperſtes erubuit : Ejus namque morte audita, dolori ſuccumbit, obvolutoque capite aſſidentes genibus ſuis neptem nepotemque averſata, mortem quoque ſibi ipſa intulerit, cibo pariter abſtinens, & luce; non quòd hoſtem filio præferret, ſed quòd pietatem ſummamque clementiam in eo, quem ut hoſtem timuerat, experta eſſet: Obiit autem quinto poſtquam mori ſtatuerat die.

Quod narrant Scriptores, Pictor egregiè expreſſit in hac tabella, ubi Mater Coniuxque Darii ad Alexandri pedes provolutæ cernuntur. Illa non majeſtate ſolùm ſed etiam ætate venerabilis, hæc formæ pulchritudine. In illius gremio ſpem maximi imperii tacitè lugere videtur ſexennis puer Darii filius, quem benigniſſimè collo ſuo admovit dicens, *Quàm vellem Darius aliquid ex hac indole hauſiſſet*. Retro genua flectentes conſpiciuntur adultæ Virgines duæ à matre indicatæ, collo utriuſque Matriſque regio monili inſignito, omnes tum mœrorem tum admirationem tum ſpem in facie deſignantes.

In medio conſpicuus eſt ſenex ille ex miniſtris captivis, qui Syſigambi errorem declaraverat, cùm illa Hephæſtionem pro Alexandro crediderit.

Alexander paludatus ut ex prælio redux, totus viſitur, Darii familiam tanta benignitate conſolans, ut ejus verbis adhibita fides ingentem ejus mœrorem non deliniſſe tantùm ſed deleviſſe videatur. Pauci illum comitantur Macedones Proceres, quos ipſi familiariſſimos credibile eſt.

Scena hæc ad porticum ampliſſimam acta refertur a Pictore, columnis & arcubus nobilem: Quamvis, narrante Q. Curtio, Reginæ captivæ in tabernaculo ſuo omni luxu & opulentia inſtructo, Alexandrum exceperint; In ſuperiori vertice velut a pegmate, provolutas ad Alexandri pedes Reginas, plures tum viri tum fæminæ curiosè deſpiciunt. Reliqua Pictor inſignis omnibus tam ſuæ artis quàm architecturæ numeris mirè decoravit.

Fatendum porrò eſt idem hoc argumentum, aliter & audeo ſcribere, nobiliùs & veriùs depictum fuiſſe a celeberrimo Car. le Brun Regis Chriſtianiſſimi pictore, quo nihil abſolutiùs: Et hanc ſibi gloriam moliuntur qui artis pictoriæ præſtantiam hiſtorica eruditione illuſtrant. Illius propagationem orbi litterato communicare dignatus eſt inſignis ſcalptor Ger. Edelinck, cujus æreis tabellis præter vitam ac vocem nihil deeſſe videtur.

PATERNVS AMOR VXORIVM SVPERANS.

Paulus Calliarius pinxit Venetijs, in ædibus Germanorum.

PATERNUS AMOR

UXORIUM SUPERANS.

PAULUS CALLIARIUS PINXIT VENETIIS, IN ÆDIBUS GERMANORUM.

VEnetiis in ædibus Germanorum dictis *fontigo*, præclara multa viſuntur Pictorum primæ notæ monumenta, tum intra ædes tum extra. In cænaculo (ibi enim ſolent ſimul cænare ædium Patroni) multa ſunt à Paulo Calliario Veronenſi depicta, inter quæ celeberrima venuſtiſſimaque obſervatur hæc Seleuci Antiochique hiſtoria.

Anno ante Chriſtum ccxc i i. Antiochus dictus poſtea Soter, novercam ſuam Stratonicem parentis ſui Seleuci Nicatoris uxorem deperibat. Agnoſcens tamen nefariam eſſe cupiditatem, nec tentavit quidquam, nec prodidit; ſed languens decumbebat, ultrò cupiens mori. Tandem celeberrimus Medicus Eraſiſtratus animaduertens corpus ab omnibus depravatis humoribus eſſe liberum, cogitavit id animi eſſe vitium, cujus contagio corpus ægrotaret; Triſtitias autem & iras, curaſque cæteras non celari ſolere, amorem à modeſtis occultari: Sed cùm ne tum quidem quidquam fateretur Antiochus, licet blandè rogatus, aſsidebat Medicus, obſervans mutationes corporis, quo modo afficeretur ab ſingulis intrantibus cubiculum. Ut verò deprehendit ad aliorum acceſſum æqualiter corpus deficere & tabeſcere, Quoties autem Stratonice illum adiret viſendi gratia, mentem quidem tum maximè turbari, pudore ac conſcientia, corpus autem ſuapte ſponte vividius vigentiuſque fieri, ac rurſum ea diſcedente deficere; dixit Seleuco Eraſiſtratus *filium ejus eſſe inſanabilem:* Cùmque Rex præ dolore ſuſpiraſſet, ſubjecit Medicus: *Amor eſt quo diſperit, & amor mulieris, ſed qua potiri non poterit.* Quî non poſſet? exclamat Seleucus: An ulla eſſet, quæ tot regnorum Succeſſorem ſperneret? Nil prorſus eſt, quod in ejus ſalutis præmium recuſarem, univerſis opibus mihi charioris. Proferas modò, quænam ſit illa fæmina. Eraſiſtrato reſpondenti, *Meam uxorem amat;* Tunc Seleucus: *Ergone, bone Vir, cùm tantopere noſter ſis amicus, tot devinctus gratiis, & ad hæc adeo honeſtus ac ſapiens, non ſervabis mihi Juvenem regium a nobis tantopere dilectum, tam infeliciter amantem?* Eraſiſtratus tunc aſtuto hoc uſus eſt argumento: *Nè tu quidem, ò Rex Magne, quamvis ſis benigniſſimus Pater, ſi tuam amaret uxorem, ei cederes?* Ibi verò per omnes Regios Deos juravit Seleucus, omnino volentem libentemque ſe ei daturum fuiſſe; ut egregium exemplum ederet paternæ benevolentiæ, in filium talem calamitatem immeritum. Multa deinde in hanc ſententiam locutus, cæpit moleſtè ferre, quòd

infelici filio mederi non posset. Id ut cognovit Erasistratus, Regi seriò rem aperuit narravitque quomodo celantem prænderit. Nulla tunc interposita mora, Seleucus concessit dilectissimam sibi Stratonicem, eique matrimonio junxit: Celebrior ob hoc facinus quàm propter acquisitas tot victorias, quando seipsum vicit, Laude plausuque dignior, si hujus incesti conjugii conciliator haud fuisset. Quanta vis amoris paterni! Se conjuge Seleucus privavit, ut eam depereunti Nato consuleret: Nil supra dici potest. Filius Novercæ amore nefario exarsit; Nil improbius fingere mens potest. Affectio quidem violenta crimen nonnihil minuere sceleste que amantem Antiochum excusatione aliqua protegere videtur, at si quis rem altiùs perpendat, justè in eum probra congeret. Ratio aliter sentientem sic veriùs sapere docet. Primo impetu neminem Amor omnino prosternit; Suo igne paullatim per medullas urendo serpit, non simul & subitò incendium totum excitat. Si male sanus adolescens tempestivè sibi caviset, absurda ventura prospiciens, tam nefariè non deliraset. Principiis haud obstando mala sua fovit. Si cordatior Amoris ignem dum adhuc scintillis tantùm, flammam augere parabat, sibi vim sapienter inferens, extinguere conatus esset, furens latèque bacchans ardor haud invaluisset incremento. Venienti morbo non occurrentibus documento Antiochus est, remedia frustra quæri, cùm jam tota sua vi morbus ægrotum possidet.

Antiochum pinxit Calliarius decumbentem, ne fortassis ob desideratissimarum nuptiarum lætitiam, in syncopem tractus decideret.

Adest Seleucus uxorem filio condonans, & diversi amoris testimonium præbens: Adest & Stratonice dextram, qua fides intelligebatur, Antiocho porrigens. Utriusque coronas suo modo finxit Pictor, regiumque capitis indumentum ab orientalium Principum more parùm discrepans.

Erasistrati caput inter Regem Reginamque cernitur: Qui Juliastes Cous, Aristotelis filia genitus, amplissimis conditionibus apud Seleucum agebat, & à Rege Ptolemæo Antiochi filio, ob sanatum Patrem, centum talentis donatus est. Illum valde laudant Galenus, Appianus, & Plinius, *maximum Medicum* nuncupantes.

Clinicæ mulieres adsunt non paucæ, quarum quatuor ex colore Græcas, duas naribus simis, turgidisque labris Ægyptias credere est. Vetulum Nanum ornamenti causa sœpè noster Pictor adjecit; Solebant quippe veteris ævi Principes, ut & recentioris, hisce naturæ aut jocis aut monstris delectari.

LIBERATIO VIENNÆ, MDCLXXXIII.

Patauij, in ædibus Patinianis.

N. Cochin del. et sc.

LIBERATIO VIENNAE, MDCLXXXIII.

PATAVII IN ÆDIBUS PATINIANIS.

INter celeberrimorum Pictorum tabellas hanc intrusisse nemo me accuset, facinoris amplitudine nobilissimam: Titianus, Caraccius, & Calliarius, penicilli elegantia artis Coryphæi nuncupentur, aliis operibus locum tradat argumenti præstantia. Tantæ existimationis apud me est hæc Viennæ liberatio, ut quò frequentiùs animum oblectarem, illam una scena comprehendi curaverim, Pictoremque Ant. Polatum Patavinum rogaverim, rem totam ab oculos poneret, & uni inspectui subjiceret, singulis vitæ meæ diebus memorandam.

Qui rerum gestarum historia frui cupit, sibi passim ex Autoribus Germanis, Gallis, Italisque consulat; tantum enim onus ferre recusant humeri nostri: pingui tamen Minerva, quid agatur strictim in tabella describere tentabo. In superiori recessu fluit Danubius ab occidente ad orientem, ramo sinistro Viennam alluens. Hæc, à vicino fluviolo nomen habens eminet, Austriæ totiusque Germaniæ metropolis, aggere, vallo, fossaque munita, stantibus mœniis propugnaculisque, cæterisque operibus civitatem firmantibus. In remotissima tabellæ parte cernuntur magni pontes Danubio impositi, montesque horizontem terminantes. Campus victoriæ totus non cernitur, sed ejus pars sola quæ Colophonem ultimamque prælii periodum sustinuit. Cùm Sereniss. CAROLUS, Lotharingus, Princeps in tantum laudandus, in quantum magnanimitas, fortitudo, sapientiaque quemquam possunt extollere, summus Cæsarearum copiarum præfectus, cognovisset obsessam civitatem ad extremas angustias redactam, tum ob hostium furorem & copiam, tum ob militares cuniculos ad mediam urbem perfossos, periculumque esse in mora judicans, suppetias validissimas obsessis continuò ferre decrevit.

Prosperè accessit viginti hominum militibus stipatus JOANNES III. Poloniæ Rex, qui Christianæ fidei, Augustissimoque LEOPOLDO opem ferre æstuans, regno Reginæ conjugi Magnatibusque commendato, una cum Ser. Principe JACOBO filio, Sarmatisque Senatoribus multis & Proceribus, per Carpathios montes ad afflictam Austriam opportunè pervenit. Inito de agendis consilio, omnibus tandem placuit Danubium superare, partim Tulnii, partim Crembsæ, Calembergum quamprimùm aggredi, inde in planiciem armata manu descendere. Tandem XII. Sept. omnia feliciter cessere, Regi Sarmatæ, Electoribus tum Bavariæ tum Saxoniæ, tribus Anhaltinis Principibus, duobus Brunzvicensibus, duobus Neoburgicis, duobus Saxonibus, duobus Wirtembergensibus, duobus

Holſaltis, Eiſenacenſi, Hoenzolernio, Haſſia-Caſſellio, Valdekio, multiſque aliis Germaniæ Principibus, quorum ordinem hic nullus quærat, Heroibus omnibus: Octoginta Chriſtianorum millia, conſertis manibus in fugam verterunt Turcarum ducenta millia, quorum ambitioſæ ſiti vix ſuffeciſſet omnium Hungarorum, Germanorumque ſanguis. Relictis turpiter impedimentis, machinis, ſarcinis, armis, tentoriis, magnaque pecuniarum vi, turpi ſibi fuga conſulere coacti ſunt, feſtinis paſſibus Viennæ aſpectu abſcedentes, quam omni conatu occupare tentaverant.

Egregium eſt illud tabellæ ſpectaculum, ornatum maximè Viſirii magni fuga. Ille fuit celebris Muſtafa Karà qui temeritatis atque infortunii pœnas paulò poſt tulit Albæ Græcæ, juſſu Mahometis Imp. ſui laqueo eliſus. Cernitur cum ſolito albo capitis ornamento, gemmis ardæolæque criſta decorato, à barbaris *Turban* nuncupato, propè tentorium equinis caudis pro dignitatis nota inſignitum. Non procul aderat Ottomanici Imperii Vexillifer, quem fama eſt ferociter pugnantem manu fortiſſimi JOANNIS Regis necatum. Chriſtianis tandem victoribus omnia riſerunt, vexillum a Rege Polono Romam ad ſummum Pontificem honoris cauſa confeſtim tranſmiſſum eſt; fugientium theſauri opimaque ſpolia, exercitus locupletaverunt, & quorumcunque militum expectationem ſuperaverunt. CXXC. majoris molis militaria tormenta Viennæ dicata ſunt: Tanta fuit præda tantuſque Captivorum numerus, ut totius Europæ hilaritati ſuffecerit, innumeris Nobilibus ſervos ſervaſque Turcas ad nationis opprobrium deſiderantibus.

Regem videmus in media tabella Polono habitu, ſtricto gladio animosè pugnantem & ad Viſirium accedentem. Hunc inſequitur Princeps JACOBUS paterno exemplo legiones ad prælium & victoriam ducens. Cæteris Ducibus ne animum barbari Turcæ ullomodo reciperent, attentè proſpicientibus, hoſtes interim aut internecione aut ſervitute afficientibus. Starembergius Comes, cui commiſſa erat civitatis ſalus, ſempiternam apud poſteros famam promeruit, quam Aug. LEOPOLDUS dignitatibus & opibus illico firmare dignatus eſt. Epiſcopi Viennenſis monitu, Auguſtique juſſu, detracta fuere ex S. Stephani baſilicæ vertice, Ottomanica inſignia, quæ ſcilicet Byzantii ſeu Conſtantinopoleos fuerant ſymbola, ſtella in luna, reſtitutaque Crux, ſalutis mundi character, quo ſpem fovemus, quo beatam æternitatem cupimus. Illa impetraverat olim Solymannus, qui cùm Viennam obſideret, anno MDXXIX. cum trecentis Turcarum millibus, huic ad ſtuporem eximio obeliſco pepercerat.

Sed quid incauta iſtas hiſtorias commemoro, cùm actum videar agere; Eò enim me deduxerat tanti facinoris lætitia, ut continere me illis temporibus non potuerim, & Deo laudes agens, præcipuos Heroes publicè pro viribus celebraverim. Ingratam benevolo Lectori me fore non opinor, ſi dictam Orationem, hic tranſcribi curaverim.

ORATIO
DE LIBERATA CIVITATE VIENNA

HABITA PATAVII, PRID. KAL. NOV. MDCLXXXIII.

A CAROLA CATHARINA PATINA, PARISINA, ACADEMICA.

IMPERATORI CAESARI,

LEOPOLDO AUGUSTO

OPTIMO, MAXIMO, TRIUMPHATORI, INVICTISSIMO,

DICATA.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos Ut deſtruas inimicum. Pſalm. 8. 3.

DE liberata Civitate Vienna, deque profligato exercitu Ottomannico, ſi Ego puella, ætate tenera, ingenio modico, doctrina per quàm mediocri orationem habere hodie aggrediar, nemini mirum videri debet; Talis enim ac tanta victoria vel mutis vocem donare poſſit. De tam miro tamque proſpero ſucceſſu nihil equidem ſilet; Exultant in cœlis Angeli, fremunt in Tartaro Dæmones, totus orbis Chriſtianus paſſim lætatur ac plaudit. Nullo vel ætatis vel ſexus vel ſortis diſcrimine, proceres ac populus, ſacerdotes, magiſtratus, cives, pueri ac puellæ certatim Deum adorant, Imperatorem celebrant. Ipſa profectò rerum Natura in partes lætitiæ ire geſtit, ac ſacro concentui ſuccinere videtur. Sol ſplendidiùs nitet, puriori luce arridet æther, plauſibus, cantibuſque aer perſonat, feſtis undequaque ignibus terra emicat, univerſa denique mundi compages prorumpit in gratiarum actiones, & ad publica Chriſtianorum gaudia conſpirat. In tanta rerum omnium exultatione ſilere nefas fuerit. Ego certè non patiar, ut lætis clamoribus circumſonantibus una obmuteſcam, ſed communi laudis gaudijque voci, vocem meam quantumvis debilem adjungam, Chriſto gratias agam, atque Imperatorem celebrabo. Et quoniam Imperatoris cauſa, Dei cauſa eſt, dum Deum laudaverit mea lingua, celebrabitur Imperator pientiſſimus; ut contra, Imperatoris laudes ac præconia in Dei gloriam indiviſo nexu refundentur.

Equidem in tam inſigni victoria, ſi quis Deo victori, Chriſto Liberatori maximas primaſque gratias agere recuſet, ſummè ingratus; Si quis divinam opem illuxiſſe non viderit, ſummè cæcus dicendus fuerit: *Si* (Iac. c. 1. 17.) *omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum deſcendit à Patre luminum*, ſane hic præcipuè ſe miris modis exhibuit divina potentia, ſe perſpicuis notis conſpiciendum præbuit Numinis favor. Quis enim obſeſſorum Chriſtianorum animis incredibilem fortitudinem, tantam in adeundis periculis audaciam, in perferendis conſtantiam inſtillare valuit? Quis, niſi Deus exercituum, populi ſui curam gerens? Quis Poloni Regis cor ita movit ac permovit, ut non dicam miſſis copijs ſuppetias ferret, ſed ipſe relicto regno ſuo, nec ipſe modò, ſed adjuncto lateri dilectiſſimo filio, Adoleſcente regio, in auxilium lubentiſſimè convolaret? Quis, niſi ille Deus in cujus manu Cor Regis eſt? Quis auxiliares cohortes undique collectas ita direxit ac temperavit, ut in tempore confluerent, ut civitati novo ac majori hoſtium impetu oppugnatæ, jam labanti, jam ad incitas redactæ, non dicam opportuno die, ſed hora congrua, ipſo temporis puncto ſuum affuerit auxilium, ſaluſque orta ſit repentina? Quis niſi ille ex quo ſalus, ille qui viſitat ſuos tempore opportuno, qui ſolus novit dies ac tempora quæ ipſe poſuit in ſua poteſtate? Quis vim ingentem imbrium cælitus immiſit, ut vis pulveris pyrij, incredibili cura collecti, tum in cuniculis tum in munimentis evaneſceret labore irrito, caſtraque hoſtilia pene liquefacta ſolverentur? Quis amabo, quis niſi ille qui (Pſalm. 103.) prout loquitur Propheta Regius, *nubibus tanquam currui inſidet, & grandine, igne, ac pluvia adminiſtris utitur tanquam Angelis*? Quis repentino pavore Ottomannorum corda ita percuſſit, ut ipſi virium ſuarum ſuæque multitudinis immemores nova formidine attoniti, tanquam ex incendio, ſe eriperent, & turpi fuga ſaluti conſulerent? Quis, quæſo, quis niſi ille ante quem voraces ignes ambulant, de quo ſcriptum eſt, *Exurgat Dominus & diſpergentur inimici ejus*.

Te Deum ergo laudamus, Tibi Chriſte gratias agimus: Tu Eccleſiæ laboranti conſuluiſti, Tu populum tuum ſervaſti, Tu templis atque altaribus tuis opem tuliſti. Pugnabant pro Chriſto milites noſtri, pro illis pugnavit Chriſtus: Hoc auxilio freti bellatores Chriſtiani pro mœnibus Viennæ ſtantes, alacri animo arma capeſſebant, & irruentes hoſtes è muris fortiter propulſabant, de victoria certiſſimi, cùm vel moriens triumphet Chriſtianus, imò tum maximè triumphet, quum pro cauſa Chriſti moritur. Hac fide pugnantes ſi quem fortè ſocium ante oculos procumbentem viderent, non ignavorum ritu deſperabant, neque muliebriter flebant, imo ejus ſorti propemodum invidebant: Neque enim commilitem ab hoſte immaniſſimo trucidatum, ſed martyrem à Deo benigniſſimo ereptum iudicabant, neque illum humi jacentem, ſed in cœlo exultantem proſpectabant.

——————O ter quaterque beati,
Queis ante ora Dei ſub mœnia celſa Viennæ,
Contigit oppetere!

Vos enim dum terram propugnatis, cœlum meruiſtis; dumque brevis vitæ jacturam pro Chriſto facitis, compendio paucis conceſſo, ad æternæ vitæ delicias recta convolaſtis.

Neque verò inulti cadebant Heroes noſtri, ſed pro ſingulis Chriſtianis vel centum Barbari occumbebant, victimæ nil miſerantis Orci quas veluti inferias ſuorum beatis Manibus victor exercitus devovebat. Non enim unquam ad mœnia propiùs accedere auſi ſunt hoſtes, quin fortiter repulſi larga ſtrage temeritatis pœnas luerent: Cumulatis vel una die inſultibus, cumulata cædes emergebat, & quò pertinacior erat impetus, eò denſior illis occiſio, ampliorque noſtris victoria oriebatur: Nempe *pro aris & focis*, pro Chriſti peculio decertabant Chriſtiani. Dum milites pro muris ſtantes hoſtem ſtricto mucrone arcebant, plurimi Moſes in monte ſancto collocati, manibus ad Deum protenſis, inermibus illis quidem, ſed tamen efficacibus, Infideliũ impetũ retũdebant, & fideliũ animos occulta quadã vi ad pugnã imò ad victoriã accendebãt.

Gaudete & exultate, milites Chriſtiani, civitatis Principis glorioſiſſimi cuſtodes; Exulta ac triumpha, Fortiſſime Staremberge, quem Viennæ Angelum tutelarem jure merito dixerim; Vos dum Imperatoriam urbem cuſtoditis, totius Eccleſiæ cuſtodiam vobis paratis; dum pro præſidio civitatis ſtatis armati, ſub omnium Sanctorum præſidio tanquam ſub adamantino clypeo latere meruiſtis. Ipſæ commilitonum veſtrorum animæ beatorum choro recens adjunctæ veſtro non defuerunt auxilio: Novi cœlites, ut ut felices, pro uobis ſolliciti fuerunt, ut ut triumphantes pro vobis pugnare pro vobis vincere non dedignati ſunt, imò hunc laborem in triumphi ſui partem non contemnendam repoſuerunt. Jubilæo univerſali a communi Chriſtianorum Patre indicto ac paſſim celebrato, vidit Deus ac tota cœli curia, vidit totus mundus, quo affectu vota nuncupaverimus, quo ardore vobis victoriam è cœlo elicere conati ſimus. Lacrymis noſtris ac gemitibus veniam Deum popoſcimus; jejuniis ſolemnibus Numinis favorem imploravimus, precibus tum publicis tum privatis Chriſtum ſollicitavimus, ut nobis propitiùs iram ſuam converteret in gentes quæ non norunt nomen ipſius, aut ita ſolum norunt, ut nefandis blaſphemiis proſcindant. Neque omnino incredibile eſt Eccleſiæ ſuſpiriis tanquam vaporibus è terra emergentibus cuſum fulmen prodiſſe, quo percuſſus jacuit exercitus Ottomanicus.

Certè cùm animo mecum reputo mirabilem illam pluviam cœlitus erumpentem, quæ diluvii inſtar cuniculos hoſtium ac munimenta devaſtavit, omneſque illorum ſpes ac conſilia in profundum demerſit, non poſſum quin tali portento obſtupeſcam, præſentemque Numinis favorem agnoſcam. Scilicet Deus Optimus Maximus ſuorum lacrymas penſare voluit effuſis pluviis, quæ non ſecius Barbaris nocuerunt, ac horribilis illa grando quæ olim hoſtes populi ſui Duce Joſua decertantis perculſit ac contudit: Quin etiam confidimus brevi fore vel jam nunc obtigiſſe, ut piæ gentis ſancta jejunia rependat idem Deus, immiſſa in Turcas dira fame & acerbis jejuniis, quæ non pietate adducti ſed penuria coacti in pœnas belli nefariè ſuſcepti celebraverint. Hiſtoricorum conſenſu comprobatum eſt legionem Chriſtianam ſub M. Aurelio Imperatore militantem, precibus ad Deum fuſis, largam ſitibundo exercitui pluviam impetraſſe. Ardentes Chriſtianorum preces mirabilem hanc pluviam nuper impetraſſe nec prædicare nec credere erubeſcimus. Fuerit illa quidem olim Amicis benigna, at iſta non minore beneficio fuit infenſiſſima barbaris Viennæ obſeſſoribus. Tibi nempe IMPERATOR AUGUSTISSIME, ipſa rerum Natura, volente Deo, ſuum obſequium præſtitit, Tibi operam navavit aer, Tibi famulatus eſt imber: Atque ut quondam de Theodoſio pio deceſſore tuo digniſſimo cecinit Claudianus; liceat nobis de Te, verſu paululum deflexo, dicere,

O nimium dilecte Deo! cui fundit ab alto
Armatas hyemes Chriſtus, cui militat æther,
Et conjurati volvuntur nubibus imbres.

Jam-

Jamque ad Te, IMPERATOR OPTIME, noſtra ſe convertit oratio: ſcilicet Tibi ſecundas poſt Chriſtum liberatorem gratias deberi fatemur ac prædicamus: Secundas certè, quia primas Deo noſtro partes nec denegat, nec invidet Majeſtas Tua, quæ alios non imperio magis quàm pietate antecellit. Tu omnibus mortalibus maior, Deo minor es, ac Deo minorem Te jactas, imò quod Deo minorem Te geris, hinc verè Imperator, verè Auguſtus es. Hac virtute inconcuſſum ſtabit imperium tuum, & omnia tua conſilia proſperè cedent. Hac virtute, Deum faventem, populum obſequentem, militem ſtrenuum Tibi demeruiſti. Hac quidem virtute, hoſtes Dei adverſus Majeſtatem tuam concitaſti, ſed ejuſdem virtutis efficacia, hoſtes Dei ac tuos conculcabis & proteres. Religio, virtutum prima, in corde Tuo velut in digno ſolio immota ſedet ac triumphat; at non ſola eſt Tibi primaria hæc virtus, imò veluti Regina cæterarum virtutum conſortio ſtipata eminet. Religionis comites Tibi ſe adiungunt, Juſtitia, Bonitas, Clementia, Fortitudo, Magnanimitas, ac Sapientia: Sapientia, inquam, quæ privato cuique neceſſaria, in Principe potiſſimum requiritur, quippe qui non ſuæ modò ſed ſuorum populorum ſaluti conſulere tenetur. Imperatoriæ hujuſce ſapientiæ ſingulari luce illuſtrata Majeſtas tua ſub principium teterrimi belli, ſedem gubernandis populis ac dirigendis legionibus aptam atque idoneam in meditullio imperii ſui ſelegit; Ac quemadmodum Sol in centro Cœli ſtans, Planetis longe diſtantibus vim ſuam ſuumque lumen diffundit; Sic Tu in centro dominii Tui ſtans, omnibus ejus partibus conſuluiſti. Illinc arcta fœdera contra hoſtem ſancis, auxilia evocas, milites conſcribis, duces creas, captas tempora. Illinc ſolerter prævides, prudenter provides, ſapienter deliberas, fortiter celeriterque deliberata exequeris. Hiſce ſtudiis vero Imperatore dignis, Vienna tua ſervata eſt, & fuſo fugatoque hoſte, liberata.

Tu, Imperii tui ut ſummus es moderator, ita primarius cuſtos exſtitiſti, Tu inclitæ Civitati præbuiſti copias, Tu copiis ducem egregium, Tu copiis ducique auſpicia tua, ipſiſque auſpiciis tuos Divos, tuumque auſim dicere, utpote Tibi faventem ac benevolum, Deum conciliaſti. Tu non modò extra Viennam, ſed intra Viennæ muros, corpore abſens, Majeſtate præſens, omnia moderabaris. Tu amore Tui, obſequio ac reverentia, militum duciſque corda accendebas, brachia movebas, ictus dirigebas. Quis eum abſentem dixerit quem ſinguli animo præſentem videbant & ſentiebant? Cuſtodes Viennæ milites hinc ſancta Chriſti altaria, illinc auguſta Imperatoris palatia alternis vicibus intuentes qua fortitudine armabantur? Quo pietatis ardore in Barbaros excandeſcebant? In animis illorum modo perſonabat vox Chriſti in hunc modum conquerentis; Siccine hæc templa in Moſqueas convertent Ottomani? Hæccine altaria ſibi vindicabit impius Mahometes? Neque multò poſt ibidem perſonabat Imperatoris vox hoc pacto indignantis; Hæccine palatia ab Imperatore veſtro benigniſſimo Principe eripiet ferociſſimus Turca? Ita ne triumphabit truculentus Chriſtianæ fidei hoſtis, & domum hanc auguſtam, pietatis, juſtitiæ ac temperantiæ venerandum domicilium, in turpe concubinarum ac meretricum lupanar conuertet impuriſſimus Tyrannus? Tali in Deum atque Imperatorem ſuum pietate tanquam duplici face inſtincti atque accenſi, non modò protegendæ civitati pares erant, ſed profectò ii erāt qui eruptione facta exercitum hoſtilem delere potuiſſent, niſi ſapiens Starembergus primum vſus ſtimulo, jam ad talem impetum comprimendum fræno uteretur, & provido conſilio jamjam accedentes auxiliares cohortes opperiendas duceret.

En adſunt auxilio invictæ copiæ & Tuæ & ſociæ, primoque impetu facto civitatem obſidione liberant, hoſtem de caſtris propellunt, & in fugam converſum ingenti clade profligant. Non longè hinc aberas, IMPERATOR AUGUSTISSIME, ad hoſtilia caſtra ad civitatem tuam jam acceſſeras jamque propiùs accedebas: Appropinquantem Majeſtatem tuam ſenſerunt noſtri milites, ſenſerunt Barbari, ſed ut animo ita eventu longè diſpari. Chriſtiani tanquam Numinis propitii benigno aditu animati ſunt ac roborati: Profanæ copiæ tanquam Numinis irati adventantis occurſu dejectæ ſunt atque perculſæ: *Adventante Deo, procul o procul eſt profani.*

O Victoriam admirandam! O celeritatem incredibilem! Cùm Tu adveniſti, jam hoſtem profligaveras. Dixerit Cæſar ad demonſtrandam celeritatem ſuam adverſus Ponti Regem, *Veni, Vidi, Vici*: De Te mirabiliora profectò dicenda ſunt. Tu nondum veneras, ſed venire parabas, nondum videras, ſed eminus videre caſtra occeperas: cùm hoſtem numeroſiſſimum viciſti, fugaſti ac debellaſti. In cumulum nedum in diſpendium Tuæ gloriæ Tibi cedit talis & hunc in modum parta victoria; vel ſola viciniæ tuæ fama percellendo hoſti ſufficit. Tua in ſolidum victoria eſt, Milites, Duces, Principes, imo Reges, qui in hoc prælio fortiter ſeſe geſſerunt, ſub Tuis auſpiciis, pro Tuo jure, Tibi præliati ſunt: Tu victoriam reportaſti, Aquila tua, Ales miniſtra fulminis, fulmen in hoſtes jaculata eſt. Tu Chriſtiani exercitus mens atque anima fuiſti. Tu vim incredibilem Barbarorum interfeciſti, brachiis alienis, imò Tuis, neque enim aliena ſed Tua dicenda ſunt Tuorum brachia, brachia hominum qui a Te pendent, Te reſpiciunt, Tuoque moventur arbitrio.

Lætare ac jubila, glorioſa civitas VIENNA gravi obſidione liberata, Imperatorem Dominum tuum triumphantem, imò triumphis omnibus maiorē excipe, gremio complectere, cole & Germanū

Liberatorem agnoſce. En adeſt qui lucem patriæ reddit dux optimus. Spargite, o cives, vias floribus; venienti occurrite exhilarata facie, Victorem inſolitis plauſibus celebrate, meritiſque laudibus in cœlum evehite. Neglectæ domus excolantur, officinæ ornentur, forum impleatur, Civibus qui patriam armis propugnarunt cara pignora ipſis ob ætatis vel ſexus infirmitatem pauliſper ſubducta redeant, dulcibuſque oſculis atque amplexibus lætitiam diffundant. Nova luce civitas refulgeat, novo decoretur cultu, nova ſuperbiat pompa. Merſata quidem profundo eſt, ſed hinc pulchrior emerget: Variis quidem jactata eſt caſibus, ſed jam ſervata inde alacrior vegetiorque ad ſua munia exurget, & inſtar arboris ſecuri tonſæ, ab ipſo ferro vires atque animum ducet.

Et tu, TERRA AUSTRIACA, poſt tot exantlatos labores jam tandē reſpira, quòd tantam peſtē evomueris, foraſque projeceris, reſpira ac meliores ſpes concipe. Truculētus hoſtis tuus devictus eſt, & alteram partem disjeciſti, alteram humi proſtratam habes. Nuper quidem Barbari inaudita crudelitate tibi vineas excindebant, arbores evellebant, fruges diripiebant, hortos proculcabant, prædia incendebant, omnia denique igne ferroque depopulabantur; En quales ſcelerum ſuorum pœnas dedere, Truces apri, feri urſi, lupi rapaces, provinciarum devaſtatores, Aquilæ fatalis roſtro atque unguibus diſcerpti ſunt & dilaniati. Turcarum, Tartarorum, Scytharum, Arabum, Ægyptiorū ſtupenda colluvies, per campos, quos fędè turpaverant, paſſim proſtrata jacet, putridiſque cadaveribus pro æterno gloriæ tuæ monumento, tanquam victimis tibi ſatisfactum eſt. Agrorum tuorum ubertate pingues evaſerant Barbari, ex ipſa cadaverum pinguedine vbertatē, Dei juſto miraculo, agri recipiēt, ſuuſque illis reddetur adeps. Sordes quas hominum male feriatorum ſceleribus inquinatum ſolum contraxerat, abluet ſanguis hoſtilis: Hoc ſanguine terra nō erubeſcit, ſed quaſi triūphali veſte induta purpuraſcit. Vtinam Sanguis ille evadat in rorem fœcundū, unde pullulent palmæ, germinent lauri, quibus coronētur illorū capita qui plenā de Ottomanis victoriā reportaverint. Sic auguror, ſic opto.

Perge igitur, IMPERATOR INVICTE, perge, reliquias nefarij exercitus perde atque exſcinde, pro Vienna oppugnata, expugna Byzantium. Non illa quidem urbs Viennæ inſtar fortiter reſiſtet; exarmata, attonita, ſtupefacta civitas illico manus dabit? Byzantium oppugnare expugnare fuerit. Funditus deleatur imperium Ottomanicum, Sacro Imperio totique orbi Chriſtiano infenſum atque infeſtum. Lunam in faſtigio turris Viennenſis prominentem ſuum ipſi inſigne Ottomani tormentis bellicis everterunt, & in imum detruſerunt. Accipe omen, IMPERATOR MAXIME, & in pœnas belli ultro & contra omne jus ſuſcepti, Lunam Ottomanicam è faſtigio potentiæ ac magnitudinis deiice, atque in imum deturba. Perge, Cæſar, nec contentus vincere, utere victoria.

Sed quid ago? quo me raptat animi impetus? Ego puella ordinis infimi, Te Imperatorē potentiſſimū ac ſapientiſſimū adhortor, Teque ad officia tua oratione impello: audaciæ meæ veniā oro. Ignoſce IMPERATOR CLEMENTISSIME, imperito ſexui, ętati improvidæ. Si quid peccavi, amore in fidē Chriſtianā, ardore in gloriā Majeſtatis tuæ tanquā æſtu abrepta peccavi, & pudoris limites trāſilivi. Ignoſce affectui, ignoſce pietati. Denique ignoſce mihi, LEOPOLDE CLEMENTISSIME, in gratiā Caroli parētis mei, cui benevolentiæ tuæ Cæſareæ luculenta pignora nō ſemel impertitus es. Novi Ego, & ſępè ſæpius narrantem Patrē audivi (id enim ſibi in vita primariū ac non ipſi modò, ſed toti familiæ ſummè honorificum obtigiſſe autumat) qua humanitate illū non dicam in palatio, ſed in Muſæo Tuo excipere dignatus ſis; qua benignitate pretioſi temporis quod generis humani beneficio conſecratū eſt, vel quatuor horas integras, ſolo adſtāte Comite à Lāberg, illi conceſſeris, & in mutuū de re litteraria colloquiū impēderis: Imò ſi dicere liceat, ut Orationis meæ plauſibiliorē reddā rationē; Non ego Te hortor, IMPERATOR AUGUSTE, non ego Te ad officiū tuū impello; Tantū vota nūcupo, tantū animi mei deſideria ac sēſa oratione explico. Hęc optare, hęc augurari fas & jura ſinūt.

Eia igitur INVICTE LEOPOLDE, teterrimū hoſtē non modò expelle, ſed perſequere, ſed ſua illum in ditione oppugna atque expugna. Primarium Ottomani Imperatoris ſignū cum ipſius Ducis tentorio captum atque direptum magnum quid & memorabile portendit. Toti imperio nefario cladem impendentem hinc auguror, tali omine exitium imminens præſagit animus. Tecū ad tā præclarum facinus omnes Chriſtianos Principes ſacro fœdere conſpiraturos confido. Quid ſtatis, Principes Chriſtiani, cōmunis hæc cauſa eſt, cōmunis videlicet hoſtis eſt Ottomanicus Tyrannus. Veſtris ille in univerſum imperiis inhiat, veſtram fidem penitus exſcindere molitur. Ad communem ſalutem inſurgite omnes; contra nefariū Chriſti ac Chriſtianorū perduellem, colligite animos. Vires coniungite, Chriſtiani Principes & Monarchæ. Barbarorū recenti ſtrage tutā atque amplam viā vobis fata aperiunt; Mira hac victoria tanquam cœleſti claſſico, Chriſtus Vos ad ſuam cauſam defendendā excitat: Obſecundate fatis, Chriſtum invitantem & ad bellum ſacrum Vos provocantem ſequimini. Vobis aderit Chriſtus; & qui modò Vos vocat, ipſe vocatus Vos in tempore audiet, Vobis opitulabitur, & pia conſilia non ad ſuam duntaxat ſed & ad Veſtram gloriam felice exitu coronabit.

D I X I.

FAMILIA

1 Io Morus. Thomæ pater. an 76.
2. Anna Grisacria, Io. Mori sponsa, an. 15.
3 Thomas Morus. an 50.
4 Alicia Thomæ. Mori uxor. an 57.
5 Margarita Repera, Th. Mori filia, an 22

FAMILIA THOMÆ MORI.

a Io Holbenio delineata.

6. Elisabeta Damsæa Th. Mori filia, an. 21
7 Cæcilia Heronia, Th. Mori filia, an 20
8. Io. Morus, Th filius an 19
9. Margarita Gigæ affinis, an. 22
10 Henricus Patenfonius Th. Mori mor[illegible]

FAMILIA THOMAE MORI,

A JO. HOLBENIO DELINEATA, ET IN ACADEMIA BASILIENSI SERVATA.

Mihi equidem propoſueram de pictis aliquot tabellis aut pietatem ſuadentibus, aut egregium quid in hiſtoria demonſtrantibus animi & ſtudiorum gratia, verba facere, dum delineatam hanc Mori familiam objecit, qua oculos recrearet, chariſſimus Parens meus: Binam propoſiti argumenti rationem nacta, hanc æri incidi & leviter explicatam publicis juris facere, eo conſentiente, decrevi. Clariſſimæ Familiæ pietas cæteræque dotes ampliſſimæ id profectò merentur: Meretur etiam eximii Pictoris fama, de quo hæc a celeberrimo pictore du Freſne dicta ſunt. Jo: Holbenium Baſilienſem & Alb. Durerum Norimbergenſem, extra cæterorum picturæ coryphæorum numerum eſſe celebrandos, quòd nulli inferiores fuerint, nullius etſi methodum ſequuti.

Tabellæ pictæ mentionem facit Index operum Jo: Holbenii præmiſſus ejus vitæ, in editione MORIÆ Baſilienſi, 1676. his verbis. 31. *Tabula exhibens Th. Morum cum tota familia iconica, cujus picturæ mentionem facit Amabilis epiſt. 21. l. 26. ad Th. Morum & ad ejus familiam Margaritam Ruperam, ep. 50. lib. 26. Extatque ejus prima adumbratio inter ſchedas Academiæ Baſilienſis, quæ inſuper ſequentia hæc nomina figuris ſingulis inſcripta refert.*

JO. MORUS, pater, anno 76.
ANNA GRISACRIA, Joannis Mori ſponſa, anno 15.
THOMAS MORUS, anno 50.
ALICIA, Thomæ Mori uxor, anno 57.
JO. MORUS, Thomæ filius, anno 19.
MARGARITA RUPERA, Thomæ Mori filia, anno 22.
ELIZABETHA DAMSAEA, Thomæ Mori filia, anno 21.
CAECILIA HERONIA, Thomæ Mori filia, anno 20.
MARGARITA GIGE, Clementis uxor, Thomæ Mori filiabus familiaris & cognata, anno 22.
HENRICUS PATENSONUS, Thomæ Mori morio, anno 40.

Et illa ipſa eſt quam primùm Londini delineaſſe Holbenium, & Baſileam deportaſſe conjectura eſt; Hujus exemplar, permittente magiſtratu Baſilienſi, ſibi ſumpſit ſervatque Parens meus, Reipublicæ litterariæ opinor non ingratum futurum. Quo anno picta tabella fuerit non eſt difficile conjicere, adſcripta ſingulorum ætate: Cùm autem Th. Moro quinquageſimus annus notatus ſit, ſciagraphiam

hanc A. C. 1533. factam fuisse necesse est, cætera conveniunt, tum ex Holbenii vita, tum ex familiæ Mori historia.

Ingens Holbenii animus exiguo tabellæ spatio amplam Th. Mori familiam complexus est: Quam ferunt *scholam & gymnasium Sacræ Religionis & alteram Platonis academiam*. Observant quippe Biographi, quatuor Mori liberos, filium scilicet & tres filias, atque una Margaritam Gigem per vices legisse in mensa, donec ille uxorem, reliquæ maritos accepissent, nam tunc sola Gige legebat, finitæque lectioni adjectum, ut apud Monachos cantari solet, *Tu autem, Domine, miserere nostri*. Et quidem scribit Amabilis, nullum unquam extitisse liberorum amantiorem ipso Th. Moro: Alebat autem omnes domi, filium scilicet & filias tres cum uxore & maritis ac prolibus singulorum. Decem personæ cameram ornant, egregia supellectile fortunam atque mores significante, omnibus ad amussim ita factis, ut nihil sit quod naturam non sapiat, quodque concinnius depingi possit. Sed ad Pictorem venio, qui Basileæ languens, de invisenda Anglia cogitavit, cujus hortatorem olim habuerat comitem Arundelium, Basilea forte transeuntem. Acceptis itaque ab Amabili litteris ad Th. Morum, alioque aut magnates aut litteratos viros, post biennium, Londinum pervenit, circa an. 1530. Ubi illum Angliæ Cancellarium, virum in primis philosophum & eruditum, rudis hic homo, pauper, Bacchoque deditus, amicum & beneficentissimum expertus est. Tam infelicis porro memoriæ ne dicam stoliditatis erat, ut nominis planè immemor fuerit primi fortunæ reparatoris, hortatorem ad iter Anglicum intelligo, Com. Arundelium. At cùm inter confabulandum, hujus nomen productum fuisset, quasi è lethargo suscitatus Holbenius, sibi non esse ignotum asseruit, & assumpto carbone tanta elegantia Com. Arundelii vultum finxit, ut similitudinem nulli non mirati fuerint: Sic Heros agnitus Holbenio benefacere nunquam desiit. Cùm per biennium apud Th. Morum mansisset, & exquisitis operibus ejus domum adornasset, ipsi Henrico Regi donatus est & acceptissimus: Ludricas aliquot historias id comprobantes olim vulgavit Parens meus, *in vita Holbenii*, quas hic repetere inconsultum.

De singulis in hac tabella depictis nonnulla referre juvabit; Qui plura desiderarent Stapletonium consulant, alioque non paucos hujus familiæ scriptores & amantissimos.

1 JO: MORUS: qualis fuerit, ex hoc epitaphio constat. *JOANNES MORUS, Eques, & in eum Indicum ordinem cooptatus qui regius consessus vocatur; homo civilis, innocens, mitis, misericors, æquus & integer, annis quidem gravis, sed corpore plusquam pro ætate vivido, postquam eo sibi pro luctam vitam vidit, ut filium videret Cancellarium, satis in terra jam se moratum ratus, libens emigravit in cælum*. Non celebri sed honesto loco natus erat, Brittannicarum legum peritia clarissimus: Hanc ut unicam apud Anglos viam ad rem & gloriam parandam filio commendaverat, eventu quidem felicissimo; at Thomas elegantiorum studiorum amænitate raptus, paterna consilia quòd non sequeretur ferè pro abdicato habitus est. Dicunt huic in adolescentia a patre ne teruntium concessum præter id quod ipsa necessitas postularet, ne vitio aut voluptati, ludis inanibus, vel luxui verteretur: Nec tamen id prohibuit quin patri semper fuerit obsequentissimus, ut sæpè genibus flexis pro gentis more benedictionem ejus postularet: Quin honori maximo ducebat Patri valde seni, domi alto, tandem oculos ultimùm clausisse.

2 ANNA

2 ANNA GRISAGRIA, Joannis Mori uxor, ſex liberos procreavit, filios quinque, Thomam, Auguſtinum, Eduardum, Bartholomæum, alterumque Thomam, & filiam Annam. Hunc autem Jo: Morum ne credamus Cancellarii patrem ſed filium, de quo infra.

3 THOMAS MORUS, Joannis filius, natus eſt Londini, anno 1483. pietate, doctrina & animi conſtantia commendatiſſimus. In Oxonienſe Academia Th. Linacrum præceptorem habuit, a quo eruditas linguas, latinam græcamque intelligo, præter Europæ familiares, addidiſcit. Poſt varia juridicaque & honorifica munia, a Rege Henrico VIII. miſſus fuit Cameracum, publicas res acturus, ea in pace quæ inter Carolum V. & Franciſcum I. ſancita eſt, an. 1529. Redeunti, magni Angliæ Cancellarii dignitas collocata eſt, regni poſt Regiam maxima: Verùm Henrici ac Catharinæ divortium probare nolens, nec Regem pro ſupremo Eccleſiæ capite poſt Chriſtum agnoſcere, maluit aulæ ampliſſimoque muneri valedicere, quàm & conſcientiæ & ſaluti. Cùm in villa ſtudiis intentus vitam privatam degeret, a Rege revocatus fuit, qui precibus oblationibuſque fruſtra adhibitis, eum tandem incarcerari juſſit, & poſt menſes XIV. duriſſimè detentum, ne dicam ſæviſſimè, librorum ſolatio planè erepto, capite plecti; æt. anno 52. Sic Fides & Eccleſia martyrem ſuum excepit 6. Jul. 1535. Scripſerat olim Utopiam, Hiſtoriam Richardi 3. Epigrammata varia, aliaque. Muſicam, Arithmeticam & Geometriam tenuit, ſed & inſtrumento muſico, viola luſit, honeſtiſſimæ recreationis cauſa: Et hanc opinor cameræ parieti appenſam. Litteratorum ſui temporis amiciſſimus, illius præcipuè Amabilis qui ſuam illi dicavit MORIAM, cum his verbis: *Primùm admonuit me MORI cognomen tibi gentile, quod tam ad MORIÆ vocabulum accedit, quàm es ipſe a re alienus.* Μώρος enim ſtultum ſignificat. Torques dignitatem notat, qua Henricus Rex reducem è legationibus Gallica & Flandrica Morum auxerat, Equitem auratum & totius regni Proquæſtorem declarando. Multi incomparabile homine majus & prope divinum fuiſſe ejus ingenium celebrant: Hoc illius extat epitaphium a Jano Vitali conſcriptum.

Dum Morus immeritæ ſubmittit colla ſecuri,
Et flent occaſum pignora chara ſuum:
Immo, ait, infandi vitam deflete Tyranni,
Non moritur, facinus qui grave morte fugit.

4 ALICIA altera Th: Mori uxor fuit: Hic enim, ut ait Amabilis, *Uxorem quum admodum puellam duxiſſet, eam & litteris inſtituendam curavit & omni muſices genere doctam reddidit: Illa IV. liberos enixa, ex hac vita ſublata eſt. Non ita multò poſt viduus viduam duxit, magis curandæ familiæ quàm voluptati. Quam etſi ad ſenium jam vergentem, ad hoc animi minimè mollis, poſtremò ad rem attentiſſimam induxit, ut cithara, teſtudine, monocordo, tibiiſque canere diſceret, & in hiſce rebus quotidie præſcriptum operæ penſum exigenti marito redderet.* Hinc procul dubio libris & inſtrumentis muſicis videmus occupatam tabellam. Rogatus aliquando cur utramque uxorem ſtatura modicam elegiſſet, *Ex duobus malis minus eligendum eſſe* reſpondit. ALICIA poſt mariti mortem, de propriis ædibus expulſa eſt, & penſione ſola XX. librarum annua illi aſſignata (reliquis omnibus ad Morum pertinentibus fiſco regio addictis) in ipſo pago *Cheſley* ſatis tenuem egit vitam, ſævience in totam Mori familiam Rege Henrico, ut ſtatim

a Cancellarii obitu, totam ejus ſupellectilem, & maximè bibliothecam univerſam, & inſtructiſsimam Thomas Cromvvellus Regii ſigilli cuſtos, homo ad miniſterium tyrannidis natus, diripuit.

5. MARGARITA, prima Th. Mori filia, à patre ſupra cæteras dilectiſſima, pietate ac eruditione inſignis, Guillelmo Rupero nupſerat, quem a Lutheri doctrina ad Catholicam Romanamque deduxit ſocer Thomas, ſæpè modeſtè dicens, *Tecum non diſputo, ſed pro te Deum orabo.* Ei quinque peperit liberos, Thomam, Antonium, Eliſabetham, Mariam, & Margaritam. Maria in litterarum ſtudio adeo feliciter a matre inſtituta eſt, ut ſapientiæ ac ſcientiæ fama illuſtre ſuum nomen ultrò illuſtraverit; Duo ejus extant opera ſcilicet *Euſebii hiſtoria, è greca in Anglicam deducta,* & *Th. Mori meditationes de paſſione Chriſti, è latina.* Chariſſima fuit Mariæ Reginæ *Catholicæ* dictæ, a cujus aula unquam diſcedere potis fuit: Sed ad Margaritam matrem redeo, tantæ pietatis, ut nihil omiſerit quo incarceratum optimum patrem ſolaretur. Sæpè ad pedes Regis Henrici VIII. advolavit, petendæ ejus libertatis gratia: Quin fertur litteras ad Patrem ſcripſiſſe, quibus illum hortaretur Regis opinioni acquieſcere, illaſque cautè ad manus carcerum Præfecti tradidit; quibus viſis facilem ſibi paravit aditum, Thomam viſitandi: At hæc planè diſſona ſuadebat, ſpe felicis exitus præmiſſa, id porro fore feliciſsimum, ſi nonnullos ſeniles annos acquirendæ cæleſti ac æternæ beatitudini poſtponeret, quod generoſiſsimè ſuſtinuit. Patris cadaver non minori ſolemnitate quàm pietate ſepeliri juſsit, amputatumque caput multo ære imò multo auro a carnifice redemptum ſecretè coluit, cujus coram Judicibus accuſata, adeo ſe excuſavit, edita erudita apologia, ut filiæ in genitoris reliquias piam charitatem damnare non auſi fuerint, & illam abſolutam dimiſerint. Hæc fortaſsis pietas longævitatis ejus cauſa fuit, quam Deus promiſit parentes diligentibus. Adverſitatem fortunæ aſsiduè ſtudiorum ſuavitate demulſiſſe traditur. Ad hanc Margaritam una extat Amabilis epiſtola ſcripta 1529. tanquam ad fœminam non tantum moribus lectiſsimam ſed & litteris ac eruditione præſtantem. Liceat mihi fragmentum epiſtolæ hic tranſcribere, quam amoris & indulgentiæ pleniſsimam Th. Morus *dulciſſimæ ſuæ natæ* exaraverat. *Nimium Tu pudenter & timidè, mea Margarita, pecuniam petis, & à patre qui dare cupit, & quando tali nos Epiſtola ſalutaſti, cujus ego non ſingulos verſus ſingulis Philippis aureis (quod in Cherilo fecit Alexander) ſed ſi facultas eſſet animo meo par, ſingulas ſyllabas unciis auri binis compenſarem. Nunc verò quantum popoſciſti mitto, plus additurus, niſi quemadmodum dare geſtio, ſic & rogari me & blandiri mihi liberet a filia: Abs te præſertim quam virtus & litteræ faciunt animo meo chariſſimam. Itaque hanc pecuniam quanto citiùs benè quod ſoles impenderis, quanto citiùs pro nova recurreris, tantò magis te ſcito gratificaturam patri. Vale, Chariſſima filia.*

6. ELIZABETHA, Jo. Damſæo nupta, quinque filios peperit, Joannem, Thomam, Bartholomæum, Guillelmum, Germanum, tum duas filias, Aliciam & Elizabetham. De hac nonnulla referre liceat ex Th. Mori litteris ad Guill. Gonellum ſcriptis, unum ex filiarum præceptoribus: *Affectum tuum in liberos meos ex tuis litteris perſpicio, diligentiam ex ipſorum; quorum nemo fuit cujus epiſtola mihi non perplacuerit. Sed illud ſuper omnia, quòd ELIZABETHAM ſentio eam morum modeſtiam abſente matre præſtitiſſe quam non quævis præſente ſolent. Eam rem fac intelligat gratiorem mihi quàm omnes omnium litteras eſſe mortalium: Nam & doctrinam*

quæ cum virtute conjuncta sit, universis Regum thesauris antepono, ita si morum probitatem sejunxeris &c. Et paulo post, *Quod si egregiis animi virtutibus vel mediocrem litterarum peritiam adstruxerit, huic ego plus accessisse veri boni puto, quàm si Crœsi divitias cum Helenes forma consequeretur, & c.* Hæc autem ELIZABETHA gravi morbo laborans quo & sublata est, deliquium animæ aliquanto ante ipsam mortem passa est, satis diuturnum : Ad se rediens, cum lacrymis & ejulatu profitebatur se graviſsimas pœnas in eo excessu luisse, & nisi Patris sui precibus liberatam : hoc autem post Mori martyrium contigit.

7. CÆCILIA, tertia Th. Mori filia, Ægidio Heroni nupsit, de quo hoc fertur, Cancellarii justitiam valde commendans: Cùm litem injustam coram Socero suo institueret, monuit illum Morus ut desisteret a lite, quod cùm non faceret, tulit contra eum expeditè sententiam. Ex eo matrimonio geniti liberi tres, Joannes, Thomas, & Anna.

8. JO: MORUS, unicus fuit Cancellarii filius. Simon Grinæus illi dedicaverat opera Platonis, cum Procli commentariis græcis ; Aristotelemque Græcum Amabilis, in quo hæc leguntur : *Quin & illud debet philosophiæ pater tuus, quòd nec tanta dignitas tantillum illi addidit supercilii, nec negociorum undique circumstrepentium, unde quidquam de pristina comitate diminuerint.* Quàm mihi placeat epistola Th. Mori charisimis liberis suis scripta, dissimulare nequeo, cujus fragmentum hic apponere non intermittam : *Nulla fuit epistolarum vestrarum quæ mihi non perplacuerit. Sed tamen ut ingenuè dicam quod sentio, præcipuè mihi arriserunt, Joannis litteræ, tum quod erant longiores reliquis, tum quòd in eas plusculum laboris ac studii videtur impendisse. Nam non solùm bellè depinxit, & castigatè satis est elocutus omnia, verùm suaviter etiam & non ineptè ludit mecum, meosque jocos non inconcinnè retaliat; nec id amœnè solùm, sed etiam temperanter: quò se declaret memorem esse, se cum Patre ludere, quem ita studeat oblectare, ut tamen vereatur offendere : Nunc expecto à singulis in singulos ferme dies epistolas: Nec excusationes has accipiam, si qua vestrum (nam Joannes nihil tale solet prætexere) vel temporis angustiam causabitur, vel præcipitem discessum tabellarii, vel argumenti inopiam. Nam vobis adeo nullus obstat scribentibus, ut etiam inhortentur omnes. Tabellarium verò ne quid remoremini, an non prævenire licet ? biduoque ante peraratas atque obsignatas in promptu habere litteras, quàm offerat se vobis quisquam qui afferat? Materia porro quo pacto deesse unquam poterit, quam scribatis ad me; qui vel de studiis vestris, vel de ludis audire libet : cui vel tum placebitis maximè, si quum nihil est quod scribatur, id ipsum scribatis effusissimè : quo nihil est facilius vobis, præsertim fœminis, nempe natura loquaculis; & quibus assiduè, Maxima de nihilo nascitur historia.* Tristiores sunt litteræ, quas pridie mortis ad dilectissimam suam Margaritam scripsit, quarum finem hic transcribimus: *Saluta, quæso, meo nomine, quum oportunum fuerit, filium meum Joannem Morum. Placuit mihi vehementer bona ejus indoles* (nempe quia ex judicio exeunte patre benedictionem petierat.) *Benedicat illi Deus, e jusque uxori optimæ, filiæ meæ; cui velim ut impensè faveat, quod & meritò facere debet. Quòd si possessionum mearum hæres fiat, videat ne meam voluntatem in eo, quod sororem ejus Damsæam concernit, violet. Denique Augustino & Thomæ* (erant hi Joanni Moro filii jam nati) *& qui nascentur ab illis, benedicat Deus.* Uxorem duxit Annam Grisacriam, e qua quinque filios suscepit, Thomam, Augustinum, Eduardum, Bartholomæum, & alium Thomam, filiamque unam Annam. Post

Cancellarii ſupplicium, JOANNES MORUS, Jo: Clemens, Guillelmus Roperus, Ægidius Heron, Jo: Damcæus, ob jusjurandum rejectum, in carceres conjecti ſunt. Omnes tandem, alius alio ſeriùs aut citiùs, magnorum virorum ſtudio, dimiſsi ſunt.

9. MARGARITA GIGE, affinis Thomæ Mori in hujus ædibus una cum liberis educata fuit, pietati ſtudioque elegantiorum litterarum addictiſſima: Multæ extant litteræ cum hoc titulo, *Th. Morus chariſſimis liberis ſuis, ac Margaritæ Gige quam inter ſuos numerat liberos, S. P. D.* Hæc fuit ſi unquam aliqua, quæ pro lana librum, pro fuſo calamum, ſtylumque pro acu tractaverit. Virtutibus ejus raptus Jo: Clemens Medicinæ Doctor, liberorum Mori præceptor eam a patrono in uxorem petiit, & obtinuit. Græcas litteras Oxonii profeſſus eſt, & *magni medici* cognomen meritus. Honorificam hanc ejus mentionem facit Th. Morus ad Amabilem ſcribens: *Clemens meus Oxonii profitetur, auditorio tanto quanto non ante quiſquam. Mirum eſt quàm placeat ac deametur univerſis. Quibus bonæ litteræ propemodum ſunt inviſæ, tamen illum charum habent, audiunt ac paulatim miteſcunt. Linacer qni neminem ut ſcis temerè probat, tamen illius epiſtolas ſic effert atque admiratur, ut ego quoque qui unicè homini faveo, propemodum tamen tam cumulatis laudibus ab illo viro congeſtis invideam.* Fertur illa maritum in ſtudiis multùm juviſſe, & græcæ dictionis proprietates ſæpè aſſequutam fuiſſe. Verùm ob Angliæ tumultus, religionis cauſa, Catholici conjuges in Belgium ſecedere coacti ſunt, ubi tandem Margarita Mechlinii obiit, 1590. hoc epitaphio donata.

Clementis conjux, hoc Margarita ſepulchro
Dormit, qua nulli charior ulla fuit: &c.

10. HENRICUS PATENSONUS partes ſuas facetè agebat, familiamque Mori mirè recreabat. Γελωτοποιὸν Græci, Latini *morionem* dicunt, qui riſum movere ſtudet; Sic apud Homerum Vulcanus in Deorum convivio miniſtrabat & claudicatione riſum movebat: Calicem etiam porrigens, matri ridicula quædam loquebatur, rixas nonnunquam diſcutiens inter Jovem & Junonem. Patenſonus quidem lepidiſſimi ingenii Vir, Th. Moro valde conveniebat, dum tamen hic Cancellarii dignitatem ſuſcepit, Patenſonum è menſa ſua amovit, patrique dedit, ſeni minùs occupato; tandemque depoſito Cancellarii munere, & perſecutioni ſe proximum prævidens, eumdem a conſpectu ſuo in totum removit. Hæc de Thomæ Mori familia & tabella.

FAMILIA CAROLI PATINI,

a Nat. Iouvenet. picta Patauij, 1684.

Ioseph Iuster sc.

FAMILIA PATINIANA,

A NATALI JOUVENET PICTA PATAVII, 1684.

INnatam Virginibus modeſtiam familiaremque ac mihi imprimis dilectiſſimam quodammodo violaſſe videbor iconem meam exprimendo, quam prorſus inutilem futuram ipſa fateor: Clementiùs judicari cupio, quæ alieno non meo nata arbitrio, id potiùs permiſerim quàm commiſerim. PATINIANAM familiam multis nominibus claram orbi erudito jam diu perſuaſum eſt, nec in eo opinor conſiſtet, quin clarior ſit evaſura. Benignè interim interpretentur æqui rerum æſtimatores meum erga Magnates imò Principes obſequium, ſua autoritate majora longè impetrare valentes.

Huic præterea audaciæ favere videntur non pauca exempla familiarum ab inſignibus pictoribus in una tabella coactarum a me aut chariſſimo Parente obſervata: Titianus Vecellius Cadorinus, Raphael Sanctius Urbinas, Albertus Durerus Norimbergenſis, Paulus Calliarius Veronenſis, Jacobus Tintorettus Venetus, Petr. Paulus Rubenius Antverpienſis, Antonius Van-Deik Anglus, ſuorum amicorum effigies una cum conſanguineis & affinibus ſimili modo ſæpè expreſſerunt. Præter ſupramemoratam Thomæ Mori familiam, idem Jo: Holbenius Baſilienſis Regiam Anglicam expreſſit, cujus hæc eſt mentio inter ejus opera. 26. *Effigies Henrici VIII. Angliæ Regis, Reginæ ejus conjugis, Eduardi filii, atque Mariæ Catholicæ poſtea dictæ, & Eliſabethæ: In pariete cubiculi Regis palatii vulgò* Witehal *dicti: Londini*. Pinxerat præterea Jac. Mejerum Conſulem Baſilienſem cum filiis, uxore, & filiabus: Et in bibliotheca Academiæ Baſilienſis cernitur effigies mulieris ſedentis puellam geſtantis puerumque manu foventis, quam dicunt Jo: Holbenii conjugem, hos verò liberos, omnes vetuſtis vilibuſque laciniis veſtitos. Sed exemplorum ſatis; Ad argumentum tabellæ venio; Cujus hæc occaſio fuit.

Anno 1684. Parentem optimum vexaverat morbus eò nobis gravior, quò mentem, cætera ad philoſophiam compoſitam, præter morem, triſtem & afflictam ſuſpiciebamus. Nos exanimabat dubium Amici cujuſdam Medici prognoſticum, donec ſano conſilio piiſſima mater ægrotantem hortata eſt, non aliena ſed Pariſina methodo uti, qua labantem valetudinem reſtitueret; Ceſſit res feliciter, ſeveriori diætæ valedicens, atque genio nonnihil indulgens, priſtinam ſanitatem paucis diebus recuperavit, quam imprimis Deo bonorum omnium largitori debere nos omnes ſumus profeſſæ. In lacrymarum noſtrarum luctus atque timoris ſolatium, & quaſi curarum redhoſtimentum, poſtulavimus, ut denuo ſe pingi pateretur, quod ultrò ſe facturum jam diu negaverat:

Impetravimus quidem, ſed data conditione, nos idem officium ſubituras & effigiebus noſtris tabellam ampliaturas. Quid ipſi recuſaſſemus, Deus bone! Acceſſerunt amici primæ notæ, quos non ſolum conſilii participes, ſed & impulſores habuimus. Opportunè ſe operi faciendo exhibuit celeberr. Gallus Natalis Jouvenet, ob pingendi peritiam a Ser. Duce Brunzvicenſi poſtea vocatus, qui nulla temporis intercapedine effigies noſtras ad vivum abſolvit.

De nobis dicturam me, ne expectes, Amice Lector, ipſa fortaſſis garriet poſteritas, Reipublicæ litterariæ civibus æquior quàm quæ aut aduletur, aut injuriam faciat. De ſolo noſtro ornatu dicam, quem abſque ulla affectatione refert Pictor. Sedent in cathedris brachiatis Parens meus chariſſimus, ſororque mea major natu dilectiſsima Gabrielis: Ille promiſſa veſte indutus eſt floribus picta, quali Profeſſores Patavini uti ſolent: Illa more ſuo ſeu Gallico ornata eſt, mitella bombycina humeros multamq; veſtis partem operiente; librum tenet quem interpretari videtur. Mater Optima palmatam habet veſtem ſibi in ædibus ordinariam, aurea fibula ſubnixam, quam ornat topazius pulcherrima, ipſi pro amicitiæ teſſera à Comitiſſa de Morſtein donata. Monſtrat illa ſorori nobiſque omnibus Guidonis effigiem, avi mei, Regii medicinæ Profeſſoris, viri ut à multis mihi relatum eſt, incomparabilis; Qualem amantem perdidi, cùm adhuc in cunis laterem, dum ille fato functus eſt: Sed ita Deus voluit: Monſtrat illum in exemplum quod imitaremur, virum ἀυτράπελον, integerrimum, & bibliothecam viventem.

Pictori placuit me ſphæram tenentem pingere, qualem dum ad nos primùm venerat, adverterat, Parenti dubia proponentem. Equidem ea reſolvere adeò expreſsè videtur, ut actioni nihil deſit. Recordor inter litteras Thomæ Mori ad filiam Margaritam commendatum illud ſtudium, mihi profectò gratiſsimum. Hæc ſunt ejus verba. *Vale, chariſſima filia, & conjugem tuum, filium mihi dulciſſimum meo nomine ſaluta: qui quod eadem jam tecum legit, dici non poteſt quàm vehementer exulto. Jam qui ſemper tibi ſuadere ſoleo, ut omnibus in rebus marito cederes, contra poteſtatem facio, ut in pernoſcenda ſphæra maritum ſuperare contendas.*

Liceat mihi de capillitio noſtro verba facere, quodquidem variis temporibus varium fuit, juxta uſum, juxta aut virorum conſilia aut mulierbre arbitrium: Mihi obſervaſſe contigit etſi juveni, mutatum pluſquam decies capillorum ſitum, ornatumque: Recordor primùm capillos a ſincipite ad occiput reflexos, fortè quo frons tota appareret. Diſplicuit mos, & ovium more capilli ad frontem deducti; calamiſtratique. Illi tandem in dextram ſiniſtramque partem diviſi, modò criſpati & cincinnati, modò recti, aut ad auriculas deducti, aut circa occiput religati. Jam eoſdem in capitis vertice arborum more ramos extendentes conſpicere eſt, unionibus, gemmis, vittiſque coruſcantes, ut non rarum ſit adaptitios galericulos, alienaſque comas admittere. Et ut alios modos prætermittam, memorabo ſic olim factitatum fuiſſe, marmoreis Græcorum Romanorumque ſtatuis diverſiſsima repræſentantibus capillitia: Varietatem illam confirmant numiſmata Poppeæ, Domitiæ, Plotinæ, utriuſque Fauſtinæ, Juliarum quinque, quas pro libitu ornatas ab iſtius ævi more non alienas conſpicere ſæpè licuit.

Parentis meę ut matrem familias decet, velum interſtinctum capillos quoquomodo tegit: Sororis meæ, liberiores fluctuant, ornatiores, & floribus referti. Mihi integrum fuit ſimpliciori modo uti, quò me citiùs quotidie expedirem, & tempori parcerem cujus ſolius avaritia honeſtiſsima eſt. Sexum noſtrum reprehendebat vetus quidam autor: *comuntur, plectuntur, annus eſt*. De his ſatis dictum ſit, fortaſſe nimis, ſatiſque de tabulis.

F I N I S.

INDEX TABELLARUM.

MOYSES NILI AQUIS EXPOSITUS SERVATUR A REGIS PHARAONIS FILIA.
Paulus Calliarius pinxit Venetiis. pag.9

CELEBERRIMVM SALOMONIS IVDICIVM A Nic. Poussino pictum Lutet. Pag. 15

TOBIAS JUNIOR AB ANGELO DUCTUS.
Titianus pinxit Venetiis, in SS. ædibus D. Marciliani. pag.15 17

CHRISTI PRÆCURSOR JOANNES.
A Titiano pictus, Venetiis, in SS. ædibus D. Mariæ Majoris. pag.19

NATIVITAS JESU CHRISTI SERVATORIS.
Picta Venetiis a Paulo Calliario Veronenſe. pag.23

JESUS LUDENS IN GREMIO SANCTISSIMÆ MATRIS, LILIUM TENENS.
Opus abſolutiſſimum Leonardi Vincii, pro Chriſtianiſſimo Rege Franciſco I. pictum. In ædibus Patinianis. pag.27

PISAURORUM NOBILIUM VENETORUM FAMILIA, CHRISTO VIRGINIQUE SUPPLICANS.
A Titiano picta Venetiis, in Templo dicto *di Frari*. pag.31

CHRISTUS INFANS PRÆSENTATUR PONTIFICI.
Paulus Calliarius Veronenſis pinxit Murani. pag.35

SANCTISSIMÆ FAMILIÆ IN ÆGYPTUM FUGA.
Opus Titiani dum in Hiſpaniam deportaretur, naufragio periit. pag.41

CHRISTUS MANIFESTAVIT GLORIAM SUAM IN CANA GALILEÆ.
Alex. Varotarius, dictus Patavinus, pinxit Patavii, in monaſterio S. Joannis de Viridario. pag.45

CHRISTUS CONVERTIT AQUAM IN VINUM IN NUPTIIS CANA.
Andreas Vicentinus pinxit Venetiis, in SS. ædibus Omnium Sanctorum. pag.53

CHRISTUS IN ÆDIBUS PHARISÆI.
Paulus Calliarius Veronenſis pinxit Veronæ. pag.59

MAGDALENA POENITENS AD PEDES CHRISTI.
Paulus Calliarius pinxit. pag.67

DIVINUM MISERICORDIÆ MONUMENTUM IN ADULTERÆ LIBERATIONE.
A Car. Calliario, Pauli filio, delineatum. pag.35

PILATUS MANUS SUAS LAVANS, ET IN JUDICANDO CHRISTO NUTANS.
Opus Jac. Robuſti dicti, *il Tintoretto*, Venetiis in S. Rochi ſchola. pag.79

JOSEPH AB ARIMATHÆA INVOLVIT CORPUS CHRISTI IN SINDONE MUNDA.
Jacobus a Ponte Baſſanus pinxit Patavii, in SS. ædibus S. Mariæ in Vantio. pag.82

TRIUMPHUS CRUCIS AB ANGELIS IN COELOS DEPORTATÆ, MULTIS SANCTIS CHRISTUM PASSUM ADORANTIBUS.
Pinxit Hannibal Caraccius, Mutinæ. pag.84

DESCENSVS SPIRITUS SANCTI SUPER APOSTOLOS ET SANCTAS MULIERES. Opus Titiani, Venetiis, in ſacris ædibus Salutis. pag.85

VISIO SANCTI PETRI.
Opus Pauli Calliarii Veronenſis, prope Venetias. pag.87

ASSVMPTIO DEIPARÆ VIRGINIS &c. picta ab Hannibale Comeccio pag. 91

DIVÆ JUSTINÆ PATAVINAE MARTYRIUM.
A Paulo Calliario Veronenſi depictum. pag.91

D. SEBASTIANUS AD DIOCLETIANI TRIBUNAL.
Opus Pauli Calliarii Veronenſis. pag.97

S. GVILELMVS AQVITANIÆ DVX. Fran. Barberi vulgo il Guercin pinxit Bononiæ pag. 103

NOB. MULIERIS CASTITAS OPE D. ANTONII VINDICATUR.
Titianus pinxit Patavii, in ſchola S. Antonii. pag.103

ABSCISSUM PEDEM S. ANTONIUS TIBIAE RESTITUIT.
Titianus pinxit Patavii, in ſcholæ pariete. pag.107

UXOR A MARITO SAUCIATA, OPE D. ANTONII SANATUR.
Titianus pinxit Patavii, in ſchola S. Antonii. pag.111.

S. ANTONIUS PATREM SUUM A MORTE LIBERAT.
Patavii, ad parietem ſcholæ S. Antonii. pag.115

UBI THESAURUS, IBI COR.
Opus Dominici Contareni, Patavii, in ſchola S. Antonii. pag.119

SCYPHUS NON FRANGITUR, UT INCRUDELORUM CORDA FRANGERENTUR. Patavii in ſchola S. Antonii. pag.125

TRANSLATIO RELIQUIARUM S. ANTONII.
Depicta a Dominico Contareno, Patavii in ſchola. pag.129

DIUUS ~~DOMINICUS~~ HYACINTHVS DEIPARÆ SUPPLEX.
Hannibal Caraccius pinxit Bononiæ, in templo Dominicanorum. pag.135

S. PETRUS MARTYR A MANICHAEIS INTERFECTUS.
Titianus pinxit Venetiis, in templo Dominicanorum. pag.139

CONCILIUM TRIDENTINUM.
Velut expreſſum eſt in æde Cathedrali D. Mariæ ſacra. pag.143

TRIUMPHUS BACCHI ARIADNEM AMANTIS.
Titiani opus, Romæ in palatio Barberinorum. pag.151

JUDICIUM PARIDIS.
A Paulo Calliario Veronenſe depictum. pag.159

ALEXANDER DARII VICTOR, CLEMENS ET CONTINENS.
Opus Pauli Calliarii Veronenſis pro Proceribus Piſanis. pag.165

PATERNUS AMOR UXORIUM SUPERANS.
Paulus Calliarius pinxit, in ædibus Germanorum. pag.173

LIBERATIO VIENNAE, MDCLXXXIII.
Patavii, in ædibus Patinianis. pag.177

FAMILIA THOMAE MORI.
A Jo: Holbenio delineata. pag.187

FAMILIA CAROLI PATINI.
A Natali Jouvenet picta Patavii, 1684. pag.197

F I N I S.

RARE 85-B
FOLIO 19266

GETTY CENTER LIBRARY